Herrn Prof. Dr. Dittenberger

hochachtungsvoll

der Verfasser.

DE
COHORTIBUS ROMANORUM AUXILIARIIS.

PARS ALTERA ADDENDA AD HASSENCAMPII DISSERTATIONEM GOTTINGENSEM A 1869.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OTTO SCHUENEMANN

PRIMISLAVIENSIS

HALIS SAXONUM
FORMIS DESCRIPSIT S. SCHLESINGER
MDCCCLXXXIII.

Ut libellus conficeretur, quo de cohortibus Romanorum auxiliariis quaecunque e rerum scriptoribus sive e titulis comperta essent componerentur, iam Henzenus desideravit[1]) et nuperrime Huebnerus[2]) nondum eum scriptum esse monuit. Hassencampius enim in dissertatione sua a. 1869 edita[3]) priorem modo partem cohortium auxiliarium, quarum nomina ab litteris „A—L“ incipiunt, tractavit, Stillius autem in „Historia legionum auxiliorumque inde ab excessu divi Augusti usque ad Vespasiani tempora“[4]) cohortes auxiliares etiam breviter attingit, sed secundum Taciti praecipue libros et Vespasiani aetatis titulos. Tum nonnulli viri dd., ut de ceteris exercitus Romani partibus,[5]) praecipue de alis,[6]) etiam de cohortibus singulis sive provinciae certae[7]) aut gentium

---

[1]) B. J. XIII p. 45 not.

[2]) „Hermes“ XVI (1882) p. 515.

[3]) „De cohortibus Romanorum auxiliariis“ (Götting).

[4]) „Kiliae 1877“.

[5]) De legionibus Grotefendus P. R. E. IV p. 868 sq., Pfitzner „Lips.“ 1882, de cohh. urbanis imperii Rom. „O. Eichhorst“ (Prg. v. Danzig 1865) etc.

[6]) ad diplomata militaria, cf. Vaders. „De alis exercitus Romani, quales erant imperatorum temporibus“, „pars prior“ (A—H), diss., Halis Saxonum 1883.

[7]) Aschbach. „Die britannisch. Auxiliarcoh. in d. röm. Donauländern in „Jahrb. für vaterl. Gesch.“ I, Wien. 1861. Hartung „Röm. Auxiliarcoh. a. Rhein I, II, Hammelburg 1870, 75 (prg.), Huebner, Exercit. Britannic. in Herm. XVI p. 513—84 cf. Urlichs „Die Schlacht a. Berge Graupius“ Würzburg 1882 (15. Prg. d. v. Wagnersch. Kunstinst.) (= Urlichs „Schlacht“). Jung „Roman. Landsch.“ Innsbr. 1882. „Quae cohh. in provv., quae dicuntur inermes, stationes habuerint“, idem disseruit in „Zs f. österr. Gymn. v. XXV (1874) p. 668—96, Roulez „Du contingent

certarum[1]) sive quae in diplomatis militaribus[2]) aut aliis titulis commemorantur, exposuerunt. De singulis autem rebus, quae ad cohh. auxill. pertinent, egerunt Harsterus[3]), Henzenus et Grotefendus,[4]) praecipue Marquardtus,[5]) de militiis equestribus Liebenamus.[6]) Itaque cum post a. 1869 volumina corporis inscriptionum Latinarum academiae Borussiae opera edita sint cum ephemeridibus epigraphicis et virorum doctorum commentationes multae publici iuris factae, cohortes illas ab Hassencampio nondum tractatas componere, deinde nonnullas, quae cui genti tribuendae sint non constat, adiungere, denique quod in Hassencampii dissertatione vel corrigendum vel addendum esse puto, adnotare mihi proposui. Sed hac diss. eae solae cohortes continentur, quarum nomina ab litteris M—T incipiunt[7]).

Notae autem librorum, quibus frequentius usus sum, hae sunt:

a = Taciti annalium libr.
h = „ historiarum libr.
C. J. L. vel I, II, III etc. = Corp. Inscr. Lat.
C. J. G. = „ „ Graec.
J. R. N. = Mommsen. „Inscr. Regni Neapolit“.
E. E. = Ephem. epigr.
Br. = Brambach. „Corp. Inscr. Rhen“.
Wil. = Wilmanns. „Exempla inscr. Lat.“
Or. = Orelli. „Inscr. Lat. amplissima collectio“ I, II.

---

fourni par les peuples de la Belgique aux armées de l'empire Romain“ in Mémoire de l'Acad. roy. de Belgique, Tome XXVII (quam commentationem mihi non in manu fuisse doleo).

[1]) cf. Aschbach l. l.

[2]) Marq. St. V. II. p. 458.

[3]) „Die Nationen des Römerreichs in den Heeren der Kaiser“ Speier 1873.

[4]) de tribb. et praeff. Henz. B. I. 13 (1849) p. 50 sq., Grotef. Phil. XII p. 484 sq., B. J. 32 (1862). 61—74. De muneribus militarib. cf. Cauer. E. E. IV. p. 361 sq.

[5]) St. V. II, p. 309 sq. 458 sq.

[6]) Quaestionum epigraphicarum de imperii Romani administratione capita selecta“ p. 6, 14 sq. „diss. Bonn. 1882“.

[7]) Reliquam libelli partem iam manu scripti postero tempore in lucem prodituram esse spero.

Hz. = Orelli-Henzen. „vol. III“.
Gr. = Gruter. „Thesaur. inscr. Lat.“
Mur. = Muratori. „Nova collectio inscr. Lat.“
Boissieu = B. „Inscriptions de Lyon“.
Allmer = A. „Inscriptions de Vienne“.
Marq.St.V. = Marquardt. „Staatsverwaltung“.
B. J. = „Jahrb. des Vereins von Alterthumsfreunden im Rheinlande“.
Mitth. = Arch. ep. M. a. Österr.

Ac primum quidem Marsos populo Romano cohortes auxiliares praebuisse Stillius[1]) e Taciti annalium l. II. c. 25 conclusit, ubi „Mallovendus, Marsorum dux, nuper a Romanis in deditionem acceptus“ commemoratur. Quod num recte fecerit, cum nusquam fere alibi de eorum cohortibus et de populo ipso[2]) a 14. a Germanico devicto[3]) audiamus, in medio relinquendum esse censeo, praesertim cum interdum Romani auxilia a gentibus non prorsus in deditionem subactis sibi oblata repudiaverint[4]).

Mattiaci a Romanis in potestatem redacti, ut Batavi et Chatti rebus domesticis ipsi fungebantur, ad bella tantum Romanorum copias praebebant, sed sub ipsorum ducibus, animo acriores erant Batavis[5]). Anno 70 p. Ch. „mixtus ex Chattis, Usipis, Mattiacis exercitus“ cum Mogantiacum obsedisset, magna praeda oneratus se recepit[6]). Cohortem Mattiacorum et I. Mattiacorum a. 14 p. Ch. inter auxilia Germanica fuisse et usque ad a. 42 in Germania mansisse, cohortem autem II Mattiacorum c. a. 75 ibi fuisse Hartungius[7]) coniecit. Haec autem cohors certe a. 134 in Moesia inf. stationem habuit[8]).

---

[1]) p. 16.

[2]) eum Bructerorum partem fuisse, ita ut horum nomen commune gentium societate coniunctarum fuerit, Huelsenbeckius „Die Wohnsitze der germ. Marsen“ Paderborn 1871 (prg.) coniecit, alii vv. dd. Sygambros et Marsos arto quodam vinculo coniunctos fuisse putaverunt.

[3]) a. I, 51.

[4]) h. III, 5.

[5]) Germ. c. 29.

[6]) h. IV, 37.

[7]) I. p. 15, 20, 21, 33.

[8]) d. 34 cf. E. E. II. p. 453.

Maurorum e gente sive Maurusiorum[1]), quo nomine a Graecis appellabatur[2]), iam ante Caesaris aetatem[3]) praecipue equites[4]) in exercitu Romano stipendia meruerant iuxta pedites[5]). Praeclari erant iaculatores et sagittarii[6]), crudeles et torvi[7]). Tiberio regnante a. 17 Mazippa duce Mauri celeberrimi, qui Numidiam accolebant, Tacfarinati se applicaverunt in bello contra Romanos gerendo, in quo a. 24 demum a Dolabella confecto incendio praecipue et caede eminebant[8]). A. 40[9]) Mauretania a Claudio provincia imperatoria facta est[10]). Galbae aetate ibi „decem novem cohortes, quinque alae, ingens Maurorum numerus aderat, per latrocinia et raptus apta bello manus“[11]). Vitellio interfecto Festus legat. leg. III. Aug., qui iam vivo illo Vespasiani partes secutus erat, Pisonem proconsulem, cum a Vitellii partibus staret, „per Poenos auxiliares Maurosque“ necavit[12]). Sub Traiano Lusius Quietus, qui natione Maurus erat, praefectus Maurorum et alae Maurorum in bello Dacico feliciter pugnavit[13]). Maximinus Thrax contra Alamannos pugnaturus inter copias a Severo Alexandro sibi derelictas multos Maurusios sive Mauros ducebat et sagittarios orientales et Osrhoenos et Parthos[14]) et id ideo, quod, „nulli magis contra Germanos quam expediti sagittarii valent“[15]). Quorum Mau-

---

1) Plin. n. h. V, 17.

2) Strab. XVII, 3, 2 p. 825.

3) cf. Schelii notas in Hyginum in Graevii thesauri vol. X p. 1089.

4) Strab. l. l. et Henzen, Annali 1860 p. 66 sq.

5) Strab. l. l.

6) Strab. l. l., Hor. c. I. 22, 2.

7) ib. 2, 39. De habitu eorum cf. Froehner, La colonne Traiane reprod. et photogr. par Arosa Paris 1872 Vol. I. p. 15, Vol II pl. 85—88.

8) a. II, 52, IV, 24—26.

9) cf. Wil. 1636 (cf. coh. I. Asturum) Henz. 5337 et 7414γ.

10) Dio. LX, 9, 5.

11) h. II, 58.

12) h. IV, 50.

13) Dio 68, 32, 4 (Xiphilin.), cf. Jung. „Die Romanischen Landschaften“ 1882 p. 100.

14) Herodian VI, 7, VII, 2, 1—6.

15) Capitolin. Maximin. duo c. 11.

rorum vestigium iam superesse, nempe leopardi cohortis signum, Wuestenrodae effossum, sagaciter et probabiliter mihi videtur Braunius[1]) coniecisse. Leopardi enim cum in Africa Syriaque frequentes essent[2]), mirum non est illius bestiae velocis et robustae imaginem cohortem Maurorum sibi signum elegisse. At si ille id tegula apud Vetera inventa et titulo Bedburgi effosso[3]), quem Hettnerus non ante medium saeculum secundum scriptum esse contendit, probari putat, hoc pro argumento, quo tuto confidas, haberi non potest. Nam cum ibi praefectus tantum cohortis II, natione Maurus, nominetur, hic etiam legionis, fortasse Thebaicae, quae in Maximiniani Herculei exercitu erat cuiusque vexillationes Bonnae, Veteribus in castris agebant[4]), cohorti II praefuisse potest.

Hyginus in praetentura castrorum, quae describit, sexcentos Mauros equites collocat et etiam notitiae dignitatum aetate (c. a. 400) equites Maurorum saepe commemorantur et leguntur in inscriptione quadam, ubi [Q. G]argilius Martialis praepos. coh. singularium et vexillationi equitum Maurorum in territorio Auziensi praetendentium nominatur[5]). Quae inscriptio a. 260 p. Ch. facta est[6]).

Coh. ∞ Maurorum in Pannoniae inferioris castro prope Aquincum sito, quod Battae videtur fuisse, stationem habuisse compluribus ibi inventis titulis et tegulis[7]) confirmatur, et Maximinianae cognomen inter annos 235 et 238 accepisse eam ex tegula quadam compertum habemus[8]). Cum in titulo Vetero — Budae reperto eques[9]) legatur, cohortem equitatam fuise col-

---

[1]) Bonner Winckelmannsprog. 1857.

[2]) cf. etiam Strab. XVII, 3, 2.

[3]) Br. 163 = Hettner Bonn. Katal. 1876 n. 100.

[4]) Euseb. Chron. p. 303 cf. Braun B. W. 1855 p. 30.

[5]) VIII, 2, 9047 = Wil. 1636 cf. I Asturum (Hassencamp p. 15.)

[6]) cf. Henzen Annali 1855 p. 43 et ad n. 5337 et 7414γ et Wil. ad tit.

[7]) cf. E. E. II (1875) n. 777 et 625.

[8]) ibid. n. 625.

[9]) III, 1, 3444.

ligi potest, deinde in titulis repertis Vacii (= Waitzen)[1] et „Neustift“ apud Aquincum[2] milites commemorantur.

Cohors quingenaria Maurorum Lussonii Pann. inf. videtur egisse, cum eius veterano, domo Africa, eiusque coniugi veteranus eiusdem cohortis ibi titulum posuerit[3]. Praef. coh. Maur. et . . rporum in titulo Cagliarensi nominatur.[4]

Cohors autem II Maurorum fortasse Casae in Numidia castra habuit, cum titulus centurionis eius ibi inventus sit, sub cuius cura Sabbatianus Proculus leg. Auggg. (sc. Septim. Severi, Marci Aur., Getae) a. p. Ch. 208 monumentum exstrui iusserat[5].

Menapiorum numerus non tam parvus erat, cum in concilio Belgarum ad bellum contra Romanos gerendum septem milia armata se coacturos esse[6] promisissent. Cum omni Gallia pacata Morini Menapiique soli in armis essent, tandem sexto belli anno in deditionem accepti sunt[7]. Menapios inter auxiliares Gallos, qui a. 16 in campo, cui nomen Idisiaviso est, pugnaverunt, fuisse et usque ad a. 42 in Germania mansisse, et primam eorum cohortem inde ab a. 74 usque ad a. 117 in Germ. inf. stationem habuisse Hartungius coniecit[8]. Civilis „Menapios et Morinos et extrema Galliarum per manum ad id emissam infestavit“[9] Cohors autem I Menapiorum a. 124 in Britannia erat[10]. Sed quando eo venerit et quam diu ibi sit morata, cum tituli desint[11], non iam cognosci potest.

---

[1]) III, 1, 3542 = Or. 3401.
[2]) III, 1, 3545.
[3]) III, 1, 3324.
[4]) X, 7600.
[5]) VIII, 1, 4323.
[6]) Caes. b. G. II, 4, 9.
[7]) ib. III, 28, 1, VI, 6.
[8]) p. 16, 20, 33, 37.
[9]) h. IV, 28.
[10]) d. 30.
[11]) Nam ille „veteranus de Menapis“ tituli, qui servatur Lutetiae Parisiorum, (cf. Bull. èpigr. II p. 54), num in coh. aux meruerit, dubium est.

Tum Montanorum cohortes in exercitu Romano fuisse compertum habemus. Ita enim vocabantur eae gentes, quae Alpium maritumarum provinciam (a. 14 a. Ch. constitutam) incolebant, quae alias etiam Ligures dicebantur[1]). Strabone teste[2]) ei, qui mare accolebant populi, Itali putabantur, Montanos praefectus Roma missus, a. 69 procurator regebat[3]). Quamquam iam a. 63 a Nerone pars eorum iure Latii donata erat[4]), tamen civitatem Romanam, cum tam diu dilectus fierent, sero demum eos accepisse veri simile est[5]).

Cohors autem I Montanorum[6]) inde ab a. 80 p. Ch. usque ad 167 in Pannonia castra habuit. A. 80 enim ibi eam fuisse docet nos diploma Titi[7]), quod datum erat pediti huius cohortis, e gente Bessorum, et a. 84 eam ibi in castris fuisse diploma Domitiani Dasio, Dasentis f. ,Dalmat.[8]), pediti h. c. datum[9]). Postero a. duas ibi primas cohortes Montanorum, peditatam et equitatam fuisse comprobatur Domitiani diplomate[10]), ubi scriptum est: „I et I Montanorum“ et „I et I Alpinorum“[11]). A 98 civium Romanorum cognomen iam acceperat[12]). Deinde cum Traianus provinciam divisisset, cohors a. 113/4 in Pann. inf. erat secundum Traiani diploma,[13]) ubi etiam a. 167 agebat[14]). Praeterea sive ante sive post

---

[1]) cf. Mommseni adn. C. J. L. V. p. 903, Henzen. in Bulletino 1883 p. 140. Liv. XXVIII, 46, 14. XL, 41, 5. Plin. n. h. III, 135: Ligures, qui Montani vocantur. Tac. h. II, 12. Arneth „12 Militairdipl.“ p. 38 n. 3. Pannonios eos esse, Sackenus „Wien Sber. 1853 p. 360“. varios in montibus vitam degentes populos putavit.

[2]) IV, 6, 4 p. 203.

[3]) h. II, 12, III, 42.

[4]) a. XV, 32.

[5]) cf. Momms. l. l.

[6]) Quingentos Montanos, non Pannonios in Fabii Valentis exercitu fuisse in Italiam ingressuri (h. II, 14) conicio cf. coh. Pannoniorum.

[7]) d. 11.

[8]) cf. Br. 741.

[9]) cf. Henzenum l. l. et p. 134/5.

[10]) d. 12.

[11]) cf. Hartung. p. 17. Still. p. 15, Urlichs „Schlacht“ p. 19 n. l.

[12]) d. 19.

[13]) d. 26.

[14]) d. 46.

hos annos prope Virunum in Norico situm videtur in praetorio fuisse altera cohors, sive peditata sive equitata, cum ibi complures eius tituli sint inventi, in quibus quattuor militum huius coh. nomina Ligustica[1]) scripta sunt. Qui tituli id singulare praebent, quod „primae “vocabulum post „Montanorum“ positum est, quod alibi raro legitur. Praeterea nominantur tribus in inscriptionibus Italicis cohortis praefecti, quorum unus etiam praef. alae veter. Gallorum, trib. leg. II Aug. erat, qui legitur in titulo Faleriis reperto, qui cum praef. n. e(gregiae) m(emoriae) v(ir) nominetur, non ante Septimum Severum imp. scriptus est[2]) et ubi cohors n. p(iae) c(onstantis) cognomine ornata est, quod potius ped(itatae) fuisse, cum illud insolentius sit, putaverim, nam p. c. „patronus coloniae“ legi, id quod voluit Henzenus in adnotatione ad hunc titulum, quod ante sacerdotium publicum Romanorum positae sind hae voces, vetari recte demonstravit Wilmannsius; tum in titulo Circeiensi[3]) praef. nominatur, trib. coh. I Fl. Hisp. ∞ eq., praef. alae I Ulp. singularium. E tertio titulo apud Serravallem[4]) effosso[5]) Q. Attium Priscum praeter nostrae coh. praefectum etiam I Hisp., I. Lusit., trib. mil. leg. I adiutr., tum praef. alae I Aug. Thracum fuisse imp. Nervae aetate compertum habemus. Postremum Gooss[6]) tegula quadam in Dacia reperta, ubi legitur „CIIIMO“ [7]), cohortem I Montanorum indicari suspicatus est.

Etiam Morini, ut Menapii Belgica gens, quae Caesaris aetate Venetos adiuvabat contra Romanos[8]) et XXV milia armata coacturam se esse ad bellum a Belgis contra Ro-

---

[1]) cf. Momms. l. l., Jung. „Rom. Landsch“. sub Raet. et Noric., III, 2, 4844 III, 4846 = Gr. p. 544,10. III, 2, 4847. III, 2, 4849 = Gr. p. 552,5 = Mur. 2034,5.

[2]) cf. Wilm. ad tit. hunc. n. 690 = Or. 3888.

[3]) X, 6426 = Hz. 6711 = Mur. 1038,6 cf. Hassencamp. p. 57 v. 10.

[4]) apud Hassenc. p. 55 et 68 locus, quo tit. repert. est, corrigendus est.

[5]) V, 7425 = Henz. 5439 = Grut. 368,5.

[6]) „Archiv f. siebenbürg. Landeskunde“ XII. p. 172.

[7]) E. E. II n. 471.

[8]) Caes. b. G. III, 9,10.

manos gerendum[1]) pollicita erat Romanorum imperio subiecti auxilia praebuerunt. Et quidem ea a. 16 in Germanici exercitu fuisse, tum cohortem Morinorum et I Morinorum usque ad a. 42 in Germania mansisse et a. 43 in Britanniam transiisse, praesertim cum, quia Britanniae vicini habitabant, insulae illius caelum facilius, ut diutius ibi morarentur, ferre possent, recte videtur Hartungius. coniecisse[2]). A. 70 eos Romanorum partes secutos esse, ex eo videmus, quod Civilis praeter Menapiorum, Ubiorum et Treverorum etiam eorum agros vastavit[3]).

Jam imp. Tito coh. I Mor. in Brit. fuisse Mowatius cum in dipl. „Walcot" rep., ubi legitur „. . . in," huius nomen suppleret, uspicatus est[4]). Certe a. 103 ibi tetendit[5]) et notitiae dignitatum aetate (c. a. 400), cum Clanoventae[6]) tribunus eius ponatur. Num etiam Salonis Dalmatiae aliquamdiu in castris fuerit, cum titulus praefecti eius ibi repertus unus sit, incertum est[7]).

Musulamiorum gens „valida et solitudinibus Africae propinqua"[8]), cuius magna pars a. I. a. Ch. Romanorum in potestatem venerat[9]), postquam a. 17. p. Ch. Tacfarinate, natione Numida, duce contra Romanos una cum Mauris rebellavit, victa est; a. 24 Dolabella „principes Musulamiorum defectionem coeptantes, cum Tacfarinas Thubursicum oppidum circumsideret, securi percussit"[10]). Tum Musulamii belli Claudii aetate a Mauris contra Romanos gesti participes erant[11]).

---

[1]) b. G. II, 4, 9. Plura de gente v. ap. Momms. CJL, III. Zeuss „Die Deutschen u. ihre Nachbst." p. 209 sq. Becker B. J. 33/34 (1863) p. 19.

[2]) p. 20, 22.

[3]) h. IV, 28.

[4]) Bull. épigr. de la Gaule III p. 24.

[5]) d. 21.

[6]) oc. 40, 52.

[7]) cf. Momms. ad. III, 1, 2049 = Mur. 853, 3.

[8]) a. II, 52.

[9]) Flor. IV, 12, 40.

[10]) a. IV, 24.

[11]) Aurel. Vict. Caes. 4, 2, ep. 4, 5.

Gentam ipsam, postquam in Romanorum deditionem subacta est, Romanorum praefecti regebant [1]).

Cohortis autem „I Musulamiorum in Mauretania“ praef. in titulo prope ipsum Thubursicum Numidarum reperto nominatur [2]).

Nemetes, gens Germanorum [3]), Galliam incolebant et fuerunt inter Ariovisti copias [4]). Tum illo trans Rhenum reiecto Romanorum in potestatem venerunt. Itaque recte videtur Hartungius [5]) coniecisse eos a. 16 inter auxiliares Germanos in Germanici exercitu fuisse [6]) et cohortem Nemetum et I Nemetum usque ad a. 74 in Germ. sup. egisse in castris, praesertim cum a. 50 una cum Vangionibus Chattos, qui Germaniae sup. agros vastabant, profligarent [7]). In inscriptionibus autem cohors eorum non commemoratur.

Etiam Nervios, gentem Belgicam, quae virtute inter alias gentes eminebat (L milia coacturos se esse in concilio Belgarum polliciti erant [8]) et tandem a Caesare in deditionem accepta erat, a 16 in Germanici exercitu stipendia meruisse in coh. Nerviorum et I Nerviorum Hartungius putavit [9]). Tum a. 62 a Nerone eos in Britanniam ad legionem IX supplendam missos esse Urlichsius [10]) posuit. A. 69. Nerviorum cohortes Civilis partes sequebantur. Vitellius enim primo „segnem e Nerviis numerum coegerat [11]), sed cohortes Romanorum aciem deseruerunt [12]). Tum Claudius Labeo quosdam Nerviorum Baetasiorumque in arma traxit [13]), et „Baetasiorum Tungrorumque et Nerviorum tumultuaria manu restitit, quominus Civilis

[1]) Ammian. Marcell. XXIX, 5, 35, VIII, 5351 cf. Jung „Roman Landsch.“ p. 100.

[2]) VIII, 1, 4879.

[3]) Germ. c. 28 cf. Zeuss p. 217 sq.

[4]) Caes. b. G. I, 51.

[5]) p. 16, 32 n. 9.

[6]) a. II, 16.

[7]) a. XII, 27, 28.

[8]) Caes. b. G. II, 15 et 4.

[9]) p. 16.

[10]) „Schlacht etc.“ p. 26.

[11]) h. IV, 15, 20.

[12]) h. IV 33.

[13]) h. IV, 56.

Sunucis adscitis ultra pergeret". Sed Civilis Tungros, Baetasios ac Nervios sibi conciliavit[1]). Deinde a Fabio Prisco in deditionem accepti pro Romanis pugnaverunt[2]). Cohors autem I Nerviorum brevi videtur in Britanniam rursus transiisse et pugnae ad montem Graupium commissae interfuisse[3]); erat enim a. 105 in Britannia[4]).

Num autem coh. I Aug. Nerv . . . . . , quae inter annos 145 et 161 in Dacia Apulensi s. Malvensi erat[5]), cum hac eadem fuerit, ignoramus, cum plena significatio in diplomate illo Pii non iam legi possit et Nerv . . . . fortasse etiam cohortis alicuius cognomen esse possit, ut coh. II Aug. ∞ Brittonum „Nerviae Pacensis" cognomine[6]) ornata erat et I Germanorum „Nervana[7])" appellabatur, ad quam etiam spectat titulus Britannicus „Netherby" repertus[8]), ubi „cohors I Nervana" legitur, quod non cum Henzeno in „coh. I. Nerviorum" corrigendum esse recte Huebnerus monuit.

Etiam cohors II Nerviorum post Civilis seditionem oppressam in Britanniam videtur transiisse[9]) et pugnae illi una cum I interfuisse[10]) et fortasse iam cum prima inter auxiliares copias a Nerone in Britanniam missas fuit[11]). Certe a 98 et 124 et 146 ibi in castris erat[12]), Vindolonae, ut videtur[13])

---

[1]) IV, 66.

[2]) h. IV, 79.

[3]) Agric. 32, 35, 36. Urlichs „Schlacht etc." p. 11 et 14.

[4]) d. 23.

[5]) d. 44 cf. Henzen Annali 1855 p. 31, Pannon. legendum ibi esse Jung „Zs. f. ö. Gymn." 1874 „Militärverh. der provinciae inermes" III Noric, suspicatus est, sed non recte, ut videtur, cum . . . en . . . in diplomate illo certe legatur.

[6]) d. 26 cf. Hassenc. p. 33.

[7]) cf. adn. ad Hassenc. p. 51 v. 30.

[8]) VII, 953 = Hz 5888.

[9]) cf. Hartung. p. 33 et II p. 26.

[10]) cf. Urlichs l. l.

[11]) Urlichs. p. 26.

[12]) d. 69 et 30 et dipl. Antonini cf. Bull. épigr. de la Gaule II p. 273.

[13]) cf. Huebner VII p. 128.

cum titulus hic[1]) praefecti eius inventus sit. Praeterea videtur in tesseris plumbeis significari, quamquam Huebnerus[2]) vix de ea cogitaverit. Legitur enim sic:

5, CIIN / ER | — COMI / NIS ; 6, CIINER

7) CIIN / ER cum figura hominis / sedentis   8) CIINE / R — grus

Vexillarii huius cohortis per aliquod tempus Procolitiae stationem habebant, Texandri et Sunici (cf. „pagus Vellaus et pagus Condrustis militantes in coh. II Tungrorum“), secundum titulum ea regione repertum[3]).

Cohortem III Nerviorum inde ab a. 42 usque ad a. 67/75 et a 117 in Germania fuisse Hartungius coniecit[4]), certe a. 124 in Britannia, ubi civium Romanorum nomine ornata erat, castra habebat[5]), ut videtur item Vindolonae, cum ibi titulus praefecti eius repertus sit[6]). Tum Alionis agebat, cum eius civ. Rom. nomine ornatae titulus[7]) Whitley Castle effossus inter annos 213 et 217 p. Ch. scriptus et ara ibidem detecta[8]) meminerint, quam stationem etiam notitiae dignitatum aetate habuit[9]).

De cohortibus IV et V Nerviorum nihil constat. Utrum autem hae eae fuerint, quae ad Civilis partes transgressae perierunt[10]), id quod Hartungius suspicatus est[11]), an cum Stillio casui potius tribuendum sit, quod tituli harum cohortium servati non sunt, diiudicari nequit.

---

1)) VII, 701.
2) VII, 1269, 5, 6, 7, 8.
3) E. E. III, (1877), p. 103 cf. Plin. n. h. IV, 106.
4) p. 33, 37.
5) d. 30.
6) VII, 706.
7) VII, 310 = Mur. 247, 3 = Gr. 1179, 11. Non recte Henzen. B. J. 13 p. 34 „m(iliaria)“ legit cf. etiam VII, 311.
8) E. E. III, 128.
9) occ. 40, 53.
10) h. IV, 33.
11) p. 32.

Ut tertia, sic item cohors VI Nerviorum a. 124 et 146 certe in Britannia[1]) erat, ubi Aesicae in castris videtur fuisse et „Rough-Castle" in vallo Antonino, postea Virosidi, ubi etiam notitae dignitatum aetate agebat[2]). Prodiit enim titulus Aesicae[3]), ubi praef. nominatur, alius eius Rough-Castle"[4]), ubi ei praeerat centurio leg. XX Val. Vict. Tum ad Virosidum fortasse spectat inscriptio eius a. 205/8[5]).

Norici, qui Taurisci proprie dicebantur[6]) et sub regibus erant[7]), iam Caesari ad bellum contra Pompeium gerendum auxilia CCC equites miserant[8]), cum Romanorum fidem contra Dacorum incursus firmam haberent. Tum a. 15. a. Ch. in Romanorum deditionem venerunt[9]) pace facta „formula aliqua mitiore"[10]), cum Cottius, regis filius, procurator provinciae vel regni fieret, (ita enim Noricum primis saeculis p. Ch. saepius nominatum est).

Una cohors I Noricorum in inscriptionibus affertur. Mature enim in legiones et cohortes praetorias recipiebantur[11]), quae Severi temporibus e solis Italis, Iberis, Macedonibus, Noricis Dione teste[12]) constituebantur, praecipue autem e Macedonibus et Noricis, ita ut Norici maturius quam Raeti usum linguae Latinae Romanorumque cultum admitterent[13]). Erat autem cohors I Noricorum a. 80, 84, 85 in Pann., a. 167 in Pann. inf. in castris[14]). Quae etiam inscriptio Firmi in Piceno

---

[1]) d. 30 cf. dipl. Ant. in „Bull. ép. II p. 273".

[2]) occ. 40, 56.

[3]) VII, 726.

[4]) VII, 1092.

[5]) VII, 269 = Hz. 5254 = Gr. 266, 4.

[6]) Strab. VII, 3, 11 p. 304 et VII, 5, 2 p. 313, IV, 6, 9 p. 206.

[7]) Caes. b. c. I, 18.

[8]) ib.

[9]) Strabo IV, 6, 9 p. 206, qui narrat eos iam XXXIII annos tributa pendere, scripsit autem hunc librum a. 18 p. Ch. cf. Niese Herm. XIII, p. 35 Dio XLIIII, 20, 2 (Vellei. II, 39).

[10]) cf. Momms. C. J. L. III, 2 p. 588.

[11]) ib. p. 708. Herm. IV, p. 118. Jung „Roman-Landsch." s. Raet.

[12]) LXXIV, 2, 4; de praetorianorum origine ac gente cf. Bohn, Berlin 1883.

[13]) Momms. CJL III, 2 p. 708.

[14]) d. 11 cf. Henzen. in „Bulletino 1883" p. 134/5, d. 12, 46.

reperta[1]) testatur, ut Aschbachius putavit[2]), a. 100 facta, ubi praef. coh. in Pann., praef. ripae Danuvi et civitatium duarum Boiorum et Azaliorum, trib. mil. leg. V Macedonicae in Moesia (inter annos 70 et 107 cf. Pfitzner p. 239) etc. nominatur. Praeterea prope Cirpos Pann. inf. lapis inventus est, ubi legitur COH I NO VI, quod num recte Dinerus (Arch. ep. Mitth. VII (1883) p. 102) coh. I No(ricorum) Vi(ndelicorum) interpretatus sit, dubito, fortasse latet in V littera R. Praef. coh. VI. Noricorum in titulo spurio legitur (IX, 544*).

Etiam Numidarum gens, ut Mauri, Musulamii, Gaetuli, Afri, in exercitu Romanorum stipendia meruit. Jam inter Caesaris copias Numidae levis armaturae erant[3]). A. 46 a. Ch. Juba, rex Numidarum, ut stipendia a Romanis milites acciperent[4]), impetraverat, qua de causa Numidarum et Gaetulorum cohortes stipendiariae vocabantur[5]). Etiam haec gens a praef. regebatur. (cf. tit. prope municipium Savae rep. „Recueil des notices et mémoires de la soc. archéol. 1882 p. 208).

Cohors autem I Fl. Numidarum, quam a Vesp. vel Domit. vel. Tito conscriptam esse ex Flaviae cognomine colligi potest, a. 178 p. Ch. sub tribuno in Lycia Pamphylia egit[6]), quam provinciam haec sola cohors tuebatur[7]). Cohortis centurio, (P. cf. Grotefend. Phil. XII p. 485 sq.) Pergis Pamphyliae oriundus in titulo Brundisino legitur[8]).

Cohors II Fl. Numidarum a. 129 in Dacia inf. erat[9]), quod probant etiam tegulae duae Dacicae[10]), quarum altera „Varmezoe“ in parietinis balnearum Romanarum, altera „Maros-Porti“ reperta est, ubi legitur: COHIINV. Tum praef. huius coh. [T.] Ant (onius) Alph (enus) Arignotus, praef. alae

---

[1]) Grut. 490, 2 (ex Panvinio et Simeonio) = IX. 5363 cf. 5364.

[2]) „Die Boier und Azalier unter Kaiser Traian in Pann.“ Wien 1858.

[3]) Caes. b. G. II, 7, 1.

[4]) b. Afr. 6, 1, 8, 5.

[5]) cf. Langen „Die Heeresverfass. der Römer im letzten Jahrhundert der Republ.,“ Brieg 1880. (prg.)

[6]) d. 71.

[7]) Momms. adn. ad d. 71.

[8]) C. J. G. III, add. 5783 c., p. 1254.

[9]) cf. d. 33.

[10]) III, 1, 1633, 5 cf. E. E. II n. 467.

II Fl. Agrippinensis, praepos. alae [singu]larium, trib. coh. I Cilicum, praepos. coh. I, 1 Gaetulor., praepos. coh. II Fl. Bessorum etc. in titulo Graeco Thyatiris reperto[1]) commemoratur. Floruit ille Alphenus sub Caracalla a. 210[2]).

Num inscriptio Minerbii in agro Veronensi rep., quam Muratorius[3]) e schedis Valerii publici iuris fecit: „L. Gellio, L. f., Rom. cohort. II Nu. Gellius frater" sincera sit, dubium est, nisi valde mutilatam eam esse sumamus.

Cohors IV Numidarum notitiae dignitatum aetate Narmunthi Aegypti[4]) in castris erat.

Tum etiam Nuritani, quae quidem gens praeterea nota non est, in Romanorum exercitu stipendia meruerunt. Cohors enim eorum in titulo Batnae (inter urbes Lambaesim et Dianam) Numidiae reperto[5]) commemoratur, quem „—praefectus coh. VI Commagen. praefecto coh. Nuritanorum, trib. mil. leg. III. Aug., amico" posuit. Praeterea huius coh. nomen mihi videtur latere in inscriptione Sestini effossa[6]), ubi C. Astricius Vitulus, prae[f.] coh. prim. Nu . . . . rr . . tanor., trib. coh. III. Ulpiae [P]et[r]aeo(rum), flamen divi Claudii (?) (p. a. 54) legitur. Quae inscriptio (quam misit Muratorio Dionys. Sancassianus) eadem est cum Murat. p. 812, 2, quae interpolata videtur, cum ibi legatur pro „Nu . . . . rr . . tanorum" „praet . . . . . Illyricor. et Mauritanorum". (E Gorio sumpsit Murat.). Pro „Nuritanorum" is qui descripsit titulum, eodem modo quo Renier. n. 1585, „Mauritanorum" legit, „quod saltem Mauretanorum debuit esse[7])."

Etiam Paphlagonum cohortes complures inter Romanorum copias auxiliares fuerunt. Cohors I quidem in inscriptionibus non commemoratur, sed cohortis II Ulpiae Pafla-

---

1) C. J. G. II, 3497 = Mur. 674, 1.
2) cf. Mur. l. l.
3) p. 818, 7.
4) or. 28, 46.
5) VIII, 1, 4292 = Ren. 1585.
6) Mur. 677,1 = 812, 2.
7) cf. ad VIII, 1, 4292.

gonum, quam a Traiano conditam esse ex Ulpiae cognomine apparet, vexillatio expeditioni illi a Traiano inter annos 114 et 116[1]) in Mesopotamiam factae una cum cohortis III Ulpiae Paflagonum vexillatione interfuit, quod compertum habemus ex titulo Byllidensi in Macedonia reperto,[2]) quo M. Valerium Lollianum praef. coh. I Apamenorum sag. eq., trib. milit. leg. VII gem. fel., praef. eq. alae Fla[vi](anae Gallorum[3]), praepositum in Mesopotamia vexillationibus equitum electorum alarum etc., item cohortium: I Lucensium, II Ulpiae equi. c. R., I Fl. c. R., I Thracum, III Ulpiae Paflagonum, II equitum (?), I Ascalonitarum fel(icis?), V Chalcidenorum, V Petreorum, IV Lucensium, I Ulpiae Petreorum, II Ulpiae Paflagonum, I Ulpiae sagittariorum, III Dacorum, I Sygambrum viam publicam, quae a colonia Byllidensium per Astacias ducit, munivisse cognoscimus.

Cohortem III Ulpiam Paphlagonum equitatam fuisse fortasse colligi licet ex titulo Caesareae Africae reperto[2]), ubi praef. equitum quidam cohortis (quod quidem alias, quoad scio, non invenitur), trib. leg. II(I) Cyrenaicae, praef. alae Flavianae Gallorum, qui honoribus municipalibus functus est Traiani aetate aut brevi post, nominatur[3]).

Jam videamus de Pannoniis. Hi partim a. 34, partim a. 9 a. Ch. Romanorum imperio subiecti esse videntur, sed seditionibus repressis demum Pannonia in provinciae formam a. 10 p. Ch. redacta[4]) auxiliares copias Romanorum exercitui praebuisse et pedites et equites. A. 43. cohortes Pannoniorum cum Pannonica legione, IX Hispana, in Britanniam missas esse Huebnerus quidem[5]) coniecit neque Urlichsius[6]) id negavit, sed eas iam a. 61 ibi periisse[7]) monuit. Omnino autem num cohortes hae legionem illam comitatae sint, dubium est.

---

[1]) cf. Marq. St. V. I² p. 436.

[2]) III, 600.

[3]) cf. Villefoss. Bull. épigr. de la Gaule (1881) I, p. 103/4.

[4]) Marq. St. V. I² p. 292.

[5]) Herm. XVI, p. 566.

[6]) „Schacht etc.“ p. 19.

[7]) Agr. 16, a. XIV, 33.

Legio enim illa a. 20 ex. Pannonia in Africam transvecta[1]) a 24[2]) inde non in patriam videtur reversa esse, sed Romam indeque in Hispaniam profecta, ubi Hispanae cognomen accepit, a. 43 in Britanniam transiisse[3]). Praeterea autem quibus e gentibus huius legionis auxilia conscripta fuerint, ignoratur; neque si ex Pannonia legio in Britanniam transiisset, num ex Pannoniis cohortes conscriptae eam secutae essent, probari potest. Solebant enim cohortes alicuius gentis auxiliares non in patria merere, sed in alias provincias mitti[4]). Anno 50. „Palpellius Hister, qui Pannoniam praesidebat, legionem ipsaque e provincia lecta auxilia contra Suebos inter se discordes pro ripa Dannuvii composuit“[5]).

Tum a. 54[6]) Pannoniorum cohortes in orientem esse profectas recte Urlichsius ex eo quod, cum alae Pannoniorum a. 62 bello Armeniaco interessent[7]), cohortes non defuisse veri simile est, collegisse videtur[8]). Qua de causa a. 61 eas in Britanniam ad legionem IX supplendam missas esse non est probabile. Otho cum contra Vitellianos bellum gereret, exercitus e Dalmatia et Pannonia cum auxiliis, quae praemissa erant, arcessivit[9]). Inter quae fortasse etiam Pannonios fuisse ex eo colligitur, quod Tacitus Pannoniorum cohortem apud Cremonam captam esse narat[10]). Num quidem haec exercitus Pannonici cohors fuerit, id quod Heraeus putavit, an auxiliaria Pannoniorum, quod magis crediderim, cum Taciti in hac re loquendi usus constans non sit, dubium est. Fortasse autem Pannoniorum cohortes huic bello civili in Italia gesto non defuisse titulo Aquileiensi comprobatur, ubi miles coh. I Pannoniorum, cives Menapius, commemoratur[11]). Quingentos Pannonios in Fabii

[1]) a. III, 9.
[2]) a. IV, 23.
[3]) cf. Pfitzner. p. 25.
[4]) cf. Harster. „Nationen des Römerreichs etc.“ p. 49.
[5]) a. XII, 29.
[6]) a. XIII, 7.
[7]) a. XV, 10.
[8]) p. 20.
[9]) h. II, 11.
[10]) h. II, 17.
[11]) V, 1, 885.

Valentis exercitu cum in Italiam introiret, fuisse[1]) iure Urlichsius[2]) negavit, nam nisi Orellii illam interpretationem admiseris, tirones eos fuisse ante bellum Vitellianum in Germaniam ituros[3]) ad legeionm XV supplendam, quae in Pannonia per duos annos morata[4]) in Germ. inf. translata erat cuiusque vexilla in Fabii exercitu merebant, Pannonii ibi commemorati offensionem praebent consideranti copias utriusque partis quantae et quomodo distributae fuerint. Itaque suspicor non Alpinos, id quod Savilium secuto Urlichsio[5]) placuit, sed Montanos a Tacito significatos fuisse, qui cum Liguribus brevi post nomine Alpinorum comprehenduntur. Commendatur praeterea haec coniectura eo, quod propius ad id, quod codice (M. 2) traditum est, accedit. Multi autem Delmatae Pannoniique in classe Ravennate merebant, qui Vespasiani partibus conciliati sunt[6]). Recte deinde Kohlius[7]) et Urlichsius[8]) videntur statuisse Pannoniorum cohortes inter octo illas fuisse, quae a Sextilio Felice per Raetiam in Germaniam ductae caesa una cohorte apud Bingium Treveros funderent[9]), eoque spectare titulos ibi et ad Aquas Mattiacas repertos, quod quidem, cum ibi etiam diutius in praesidio fuisse possint, incertum est. Ex titulis certis duobus prope Bingium repertis cohortem ibi fuisse scimus, quorum in altero[10]) miles natione Breucus, in altero[11]) S[o]enus, Assenionis f, quem natione Pannonium fuisse Kohlius putavit, nominatur. Tertium ibi inventum titulum, in quo teste Kohlio[12]) solum perspici potest:

---

1) h. II, 14.
2) p. 20 not.
3) cf. Harster. l. l.
4) cf. Pfitzner. p. 261 et 52.
5) ib.
6) h. III, 12.
7) „Die röm. Inschr. u. Steinsculpt. d. St. Kreuznach“ (prg. 1880) p. 18/19.
8) p. 20.
9) h. IV, 70.
10) Br. 740 cf. Kohl. l. l.
11) Br. 743. cf. Kohl. l. l.
12) p. 21.

COIII·I[1]) ad eandem cohortem Schmidtius[2]) rettulit. Praeterea huius cohortis militis meminit monumentum quoddam Aquis Mattiacis repertum[3]). Fortasse etiam huc referendum est monumentum militis . . . . . nioru . . . . [4]) Mogontiaci servatum. Post a. 70 cohortes in Britanniam transvectae videntur[5]), nam secundum inscr. Aeserniae (Samn.) repertam[6]) „—praef. coh. I Pannoni(or) in Brittania, praef. coh. [X] Hispanorum in Cappadocia[7]), flamen divi Traiani" erat (sc. p. a. 117). Num ad eandem cohortem spectet titulus Borcovicii repertus[8]), quem Pusinna coniux Dagualdo „mi [. . .] Pan." posuit, cum etiam de milite legionario aut cohortis Tungrorum, natione Pannonio aut His- „pan" o cogitari possit, dubium est[9]). Sed ante a. 138 p. Ch. cohors a Traiano in Pannoniam sup. translata est[10]), cum in huius anni diplomate commemoretur ab hoc imper. Ulpia cognominata et fortasse civitate Romanorum donata, cum ibi „PAN . . . . R" legatur[11]). A. 154 in eadem provincia eam egisse et miliariam fuisse huius anni diplomate probatur[12]). Num circa annum 158 (inter annos 145/61) in Dacia Malvensi vel Apulensi in praetorio fuerit, id quod Gazzera[13]) proposuit, cum in diplomate illius anni nihil nisi „I Ulp . . ." legatur, dubium est. Tum „—pedes coh. I

---

[1]) Br. 744.

[2]) B. J. 29/30 p. 220.

[3]) Br. 1519 cf. Lindenschmit „Tracht u. Bewaffnung etc." p. 22 et tab. VI, 2.

[4]) Br. 1368 = Becker. „Die röm. Inschr. u. Steinsculpt. des Mus. der Stadt Mainz" 1875 n. 216.

[5]) cf. Hartung. p. 23, Urlichs. „Schl." p. 21.

[6]) IX, 2649 = J. R. N. 5024.

[7]) cf. Hassenc. p. 60.

[8]) VII, 692.

[9]) cf. Huebnerum ad tit. Militem, cum nomen eius Germanicum sit, ex iis qui Catualdam vel Maroboduum, quem trans Danuvium Romani emigrare iusserunt, comitabantur, ad Pannoniorum cohortem adscitum esse coniecit Bergkius. (B. J. 57 (1876) p. 30).

[10]) cf. Huebn. Herm. XVI, p. 566.

[11]) d. 36.

[12]) d. 39.

[13]) cf. Arneth. „XII Diplome" p. 61 sq.

Pannoniorum[1]), Ratiar(ia) (Moes.) oriundus" commemoratur in diplomate a. 165, ex quo ubi cohors fuerit non apparet. Num autem cohors etiam equitata et per aliquod tempus prope Singidunum Moesiae superioris in castris fuerit, id quod ex titulo ibi reperto[2]) tribuni coh. XXX vol. c. R. in hanc coh. translati ab optimis maximisque impp., (Marco et Vero, ut videtur) colligi licet, dubium quidem est, sed utramque eandem fuisse probabile videtur. Huius fere aetatis (sc. saec. II. exeuntis) videtur etiam titulus Brixiensis[3]) esse, quem „— trib. coh. prim. Pann. M. Nonio Macrino leg. Aug. propr. prov. Pann. super. vel inf.[4])" posuit, quem hoc fere tempore vixisse Borghesius eumque secutus Mommsenus probaverunt[5]). Diversa autem ab hac cohorte videtur I Ulpia Pann. esse, quae in Pann. inf. etiam Caracallae vel Elagabali temporibus castra habuit. Meminit enim huius titulus in oppido Albae regalis repertus[6]), ubi dec(urio) e(x) sing(ulari)[7]) commemoratur, tum in tegulis Aquinci repertis[8]) coh. I Ulp. P. nominatur. Cohortem autem Caracallae vel Elagabali temporibus ibi fuisse ex eo apparet, quod in una tegula Antoninianae cognomen cohorti additum est. Post saec. II medium enim (Commodus primus videtur fuisse) imperatores cohortibus nomen suum honoris causa dare solebant, Carac. et Elagab. praecipue nomen Antoninianae[9]). Denique in monumento extra Acsam in comitatu Albensi inter Albam regalem et Aquincum reperto[10]) milites cohortis (I Ulp. P. et Ul. Pa.) huius nominantur. Ad eandem cohortem fortasse etiam spectat cippus marmoreus in villa del Cinque repertus[11]) praefecti coh. I Pan., trib. mil. leg. III Cyren. Haec enim cohors,

---

[1]) d. 45 = Grut. 1032, 6.
[2]) III, 2, 6302.
[3]) V, 1, 4343.
[4]) cf. Momms. ad tit.
[5]) op. p. VI. 61; C. J. L. V, p. 339 ad. n. 3342.
[6]) III, 1, 3350.
[7]) cf. Cauer E. E. IV p. 404 n. 34.
[8]) III, 1, 3756 a, b, c = Wil. 2803 a, b.
[9]) cf. Aschbach. B. J. 20 p. 56.
[10]) III, 2, 6454.
[11]) VI, 3540.

ut quingenaria, videtur a praefectis recta esse. Muratorianum vero titulum[1]), Formiis repertum, ubi „L. Antonius Severus Gallus[2]), mil. coh. I Pannonum" commemoratur, quod ex Ligorio sumptus est, genuinum credere non licet. Item spurius est titulus „M. Papirii praef. coh. I Pannoniorum in Dacia[3])." Notitiae dignitatum aetate coh. I Aug. Pannoniorum in Aegypto erat[4]), coh. Herculea Pannoniorum, quae a Maximiano nomen gessit[5]), in Raetia.

Etiam cohors II Pannoniorum videtur post a. 70 in Britanniam transvecta esse, cum in titulo prope Uxellodunum rep. commemoretur[6]) et probabiliter etiam in lege honestae missionis a. 105[7]), ubi, cum numerus absit, II vel III supplendum esse ex ordine numerorum concluditur. Praeterea invenitur praef. huius coh., praef. III Ityraeorum, trib. mil. leg. IV Scythicae in titulo Beneventano[8]) Hadriani temporibus posito.

Cohortem III Pannoniorum fuisse tegula „Adony" Pann. inf. inventa videtur indicare, cum praebeat HIIPA[9]) Non minus quam coh. „I Pannonum" titulus Muratorianus[10]) etiam cohortis III[10]), qui variam prioris tituli lectionem praebere videtur, fictus est a Ligorio. Notitiae aetate ut I etiam III Herculea Pann. in Raetia versabatur[11]).

Cohortis IV Pannoniorum mentio fit in uno, quantum scio, titulo Albae Fucentiae (reg. IV) reperto[12]).

Deinde etiam cohors ex duabus nationibus Pannoniis et Dalmatis conscripta est. Nam cohortis I Pannoniorum et Dalmatarum equitatae civ. Rom. praef. donis donatus

---

1) 781, 1.
2) natione Gallus, de cognomine cogitavit Harsterus p. 49.
3) Grut. 448, 3 = Or. 3234 cf. C. J. L. III, 1, 90*.
4) or. 28, 41.
5) occ. 35, 34.
6) VII, 417.
7) d. 23.
8) IX, 1619 = Wil. 1864 = J. R. N. 1486 = Or. 4007.
9) III, 1, 3752.
10) 781. 1 = X 840* = J. R. N. 676*.
11) occ. 35, 30.
12) IX, 3924 = J. R. N. 5623.

expeditione Parthica[1]) a divo Traiano nominatur in titulo Ferentiniano post a. 120, quo Hadrianus expeditionem Britannicam suscepit[2]), scripto[3]).

Tales coniunctae populorum duorum cohortes etiam alias interdum commemorantur. Sed iam videamus de gente Petraeorum. Ex his, a. 106 a Cornelio Palma in populi Romani ditionem redactis[4]) Traianum cohortes conscripsisse e cognomine Ulpiae cohortis Petraeorum apparet[5]). Et primo quidem una constituta est miliaria equitata, quae numero carebat, cuius tribunum mil. C. Camurium Clementem praef. coh. VII Raetorum equit., praef. alae Petrianae ∞ c. R. fuisse scimus ex titulo in agro Attidii Umbriae reperto[6]), quo fortasse lapis ex Aegypto advectus aut ubi ab Aegyptiis positus est[7]). Brevi complures huius gentis cohortes formatas esse, ex inscriptione illa Byllidensi[8]) apparet, ubi vexillationes coh. I. Ulpiae Petreorum et coh. V Petreorum nominantur. Cohortem autem III Ulpiam Petreorum fuisse ex titulo illo Sestini reperto[9]) apparet et ex notitia dignitatum[10]), ex qua eam in Armenia (Metitae) egisse scimus.

Ponticas cohortes, quas Stillius[11]) ex Taciti annalium libri XV cap. VI affert, ita appellatas esse, quod in Ponto provincia agebant cum legionibus Ponticis, ex Taciti loquendi usu apparet. Sed coh. Ponticam Polemo rex Romanis praebuerat, quae civitate Rom. donata a. 69 caesa est[12]).

De Coh. VII praelectorum eq. cf. coh. VII Raet. eq. p. 30.

---

1) a. 114/7 cf. Borghes. Annali XVII, 331.
2) cf. Grotef. B. J. 26, 127.
3) X, 5829 = Wil. 1620 = Hz. 5456.
4) cf. Marquardt. in „St. V.“ I² p. 431.
5) cf. Henz. B. J. 13 p. 73.
6) Or. 516 = Mur. 686, 8 = 1096, 3.
7) Mur. ad tit.
8) III, 600 cf. coh. II et III Ulp. Paflagonum p. 18.
9) Mur. 812, 2 = 677, 1 cf. coh. I Nuritanorum p. 17.
10) or. 38, 27.
11) p. 47.
12) h. III, 47.

Raeti et Vindelici a. 15 a. Ch. per Drusum et Tiberium Romanorum imperio subacti[1]) brevi post videntur auxilia praebuisse et primo quidem coniunctas ex utraque gente cohortes[2]); a. 16. p. Ch. enim in campo, cui Idisiaviso nomen erat, pugnaverunt contra Arminium[3]).

Sed paullatim iuxta has utraque gens etiam singulares ex sua gente conscriptas cohortes videtur coegisse. Coniunctae autem cohortes commemorantur in titulis Germ. sup. duobus, qnorum in altero Mogontiaci rep., quem ex eo, quod negligentius scriptus est, non ineunte imperatoria aetate factum esse Haugius[4]) collegit, Cuses, Sugent[i f. vel Sugentis f. ?], Regus[5]), miles[6]) nominatur, in altero Wormatiae[7]) effosso, ubi pro „Praetor. et Vindol.“ „Raetor. et Vindol.“ legendum esse recte Henninus suspicatus est, item miles commemoratur. Iisdem autem locis reperti sunt duo tituli, in quibus milites coh. Raetorum nominantur: Attius, Lani[8]) f., Montanus[9]) et Veiagenus, Sisgi f., natus Monet(ii[10]). Anno 69 Raetorum iuventus[11]) cum Raeticis alis cohortibusque Helvetios agressa est[12]), quam in cohortem vel plures redactam esse et alis cohortibusque, quae in Raetia agebant, additam probatur eo, quod in Raetia usque ad M. Aurelii aetatem auxilia sola

---

[1]) cf. Marquardti St. V. I² p. 288, Momms. C. J. L. III p. 706 sq.

[2]) cf. Beckerum „B. J. 20 (1853) p. 104—7.

[3]) a. II, 17 cf. Hartung. p. 17, Aschbach. B. J. 20 (1853) p. 79.

[4]) „Die röm. Denksteine des Grherz. Antiq. zu Mannheim“ (Prg. 1877) n. 53.

[5]) Haugius id putavit cognomen esse, ut Contum Br. 1227, cum negaret, id quod Christ. B. J. 66 (1876) p. 61 n. Lehnium secutus intellexit „aus Regensburg“, Regum primo, tum Regium illum locum nominatum fuisse ratus, significare illam vocem posse.

[6]) Br. 1236 = Or. 484.

[7]) Br. 895.

[8]) nomen barbarum cf. Steineri cd. inscr. Rheni et Dannbii 343.

[9]) Br. 1128 Mogont.

[10]) Illyrici cf. Steiner. 595 = Br. 892 (Borbitom), cf. Strab. IV, 6, 10 p. 207 et VII 5, 4 p. 315.

[11]) quam tumultuariam provincialium manum fuisse Jung. „Militärverh. etc. s. III Raetia“ putavit, Mommsenus C. J. L. III, p. 708 cum coh. Raet. et Vindelicor. composuit.

[12]) h. I, 68.

castra habebant [1]). Tum Tacitus narrat Mucianum, postquam Sextilius Felix cum octo cohortibus ad fines Raetiae et Norici tutandos missus est, Raetorum auxilia cum pro Vitellio essent [2]), ab illius exercitu, qui in Italia erat, separasse [3]). Num ea Felix contra Civilem duxerit, id quod Stillius [5]) ex hist. IV, 70 conclusit, Urlichsius negavit [5]), dubium quidem est, sed cum tituli coh. Raetorum in Germania reperti sint, veri simile videtur. Cohors VII Raetorum certe a. 74 in Germania fuit [6]). Inventus autem est coh. Raetorum titulus etiam in Germ. inferiore Autunnaci, ubi mil. legitur [7]). Utrum etiam lapis quidam in Hollandia rep. [8]) ad cohortem Raetorum spectet, ut Henzenus [9]) censuit, an ad XV vol., dubium est.

Cohors autem I. Raetorum non videtur in Germania tetendisse, cum nullus eius ibi repertus sit titulus. Ille enim Coloniae inventus [10]) Traecerum exhibet neque recte ab Aschbachio [11]) ad cohortem T · RAE · CIROM relatus est [12]). Anno autem 107 una cum II cohorte in Raetia fuit [13]), ubi utraque etiam a. 166 videtur fuisse [14]). Ceteris ex titulis statio non iam cognoscitur. Videtur enim nominari in titulo Graeco [15]), Ancyrano, qui num sincerus sit, Grotefendus [16]) quidem dubita-

---

[1]) cf. Marq. St. V. I² p. 289, qui tamen cum Aschbachio B. J. 20 p. 79 et Beckero ib. p. 104—7, Stillio, Ohlenschlagero „Ueber d. röm. Baiern" (Vortr. i. d. X. Anthropolvers. 1881 cf. B. J. 72 (1882) p. 174) cohortes Raeticas pro Raetorum accepit, quod suo iure videtur Heraeus negasse.

[2]) h. III, 5.

[3]) h. III, 53 cf. III, 8.

[4]) p. 107.

[5]) „Schl." p. 20 n.

[6]) d. 9.

[7]) B. J. 73 (1882) p. 154.

[8]) Br. 3.

[9]) B. J. 13 p. 91.

[10]) Br. 414 = Gr. 571, 7.

[11]) B. J. 20 p. 61.

[12]) cf. Huebnerum Herm. XVI, p. 568 n. 1.

[13]) d. 24.

[14]) d. 61.

[15]) Grut. 402,4 = Waddingt. III, 1794.

[16]) B. J. 32 p. 74.

vit, sed a. Mommseno in C. J. L. receptus est[1]; sed ibi legitur „trib. co. I. praetor“, non „Retor“. Tum coh. in marmore Tusculano[2] nominatur, quod praefecto h. c., trib. mil. leg. I Minerviae p. f., praef. alae Aug. II p. f. Thrac., proc. prov. Belgicae etc. . . . ex Belgica Treveri posuerant post a. 84[3]. Deinde in titulo Tingitano[4] praef. coh. n., trib. leg. X g. p. f., praef. alae Dardanorum, donis donatus a Traiano bello Dacico, i. e. post a. 106[5], legitur.

Antonini Pii aetate Raeti, gaesati et exploratores in Britannia erant una cum cohorte I Vangionum[6]. Ineunte saeculo V trib. coh. I Herculeae Raetorum Parraduni Raetiae[7] in castro erat, Herculeae autem cognomen post a. 307 ab imp. Maximiano Herculeo eam accepisse recte monuit Christius[8].

Etiam coh. II. Raetorum initio in Germania erat, ut Hartungius putavit[9a], iam inde ab a. 42, certe a. 82 (in Germ. sup.)[9] Castra videtur habuisse prope Aquas Mattiacas, cum ibi eius tituli et diploma inventa sint. Nominatur autem miles h. coh., Raetus[10], et in titulo „Laubenheim“ Hassiae cisrhen. prope Mogontiacum reperto[11] veter. et cohors sola in laterculo Saalburgensi[12]. Praef. in titulo Veronensi[13] legitur. Tum videtur cohors bellis Dacicis interfuisse, cum a. 107 in Raetia esset[14], et a. 116 iterum in Germania[15], quod fortiter in his fortasse bellis pugnaverat, civium Romanorum

---

[1] III, 249.

[2] Mur. 1088, 4 cf. Becker. B. J. 20, p. 104—7 = C. J. G. p. 313 a = C. J. L. VI, 1625.

[3] cf. Pfitznerum p. 221.

[4] VIII, 2, 9990 = Or. 3570 = Vaders. p. 21.

[5] cf. Pfitzner. p. 250.

[6] VII, 1002.

[7] Not. occ. 35, 28,

[8] „Weissenb. Dipl.“ „Sber der Münch. Ac. 1867 p. 440/1“.

[9a] II, p. 26.

[9] d. 68.

[10] Br. 1521.

[11] Br. 935.

[12] Br. 1431 d.

[13] V, 1, 3358 = Mur. 787, 3.

[14] d. 24.

[15] d. 27.

cognomine ornata, quamquam Beckerus[1]) iam Tito vel Domitiano imperante eam civitatem Romanam accepisse putavit. Ita enim appellatur in lapidibus Aquis Mattiacis repertis, e quibus Clementem Foro Juli oriundum[2]) veteranum eiusque filium centuri-onem[3]) coh. II Rai. c. R. fuisse cognoscimus et Blanuanium item centurionem"[4]) (numerus cohortis et centurionis nota insolito loco posita sunt). Tum in castro „Saalburg" repertus est tit.[5]) praefecti h. c. Etiam annis 180 et 260 eam in Germ. sup. fuisse coniecit Hartungius[6]). Postremo utrum praef. coh. II Raetorum an Gallorum T. Visulanius Crescens fuerit, trib. mil. coh. civium Romanor., praef. eq. alae Moesicae, dubium est, sed Mommsenus FI GAIIOR legere sibi visus est[7]).

Cohortis III Raetorum titulus non superest.

Cohortis IV Raetorum praef., trib. mil. leg. XXII. Deiotar., praef. alae Astyrum, praef. vehiculor. etc. in inscriptione Messanae reperta[8]) nominatur, quam Wilmannsius Traiano neque, quod legio XXII Deiot. ab eo sublata esset[9]), posteriorem neque ob praef. vehic[10]). superiorem esse putavit; sed Pfitznerus legionem illam a. 133 periisse probare studuit, cum Borghesius[11]) a. 162 id factum suspicatus esset. Tum proc. tractus Karthag., proc. Alp. Atrectinar., subprf. cl. pr. Mis., prf. alae I Fl. Sabastenorum, trib. leg. III Italic, praef. h. c., donis mil. donatus bello Germ. II in inscr. Thamugadensi (Num) commemoratur[12]).

---

1) B. J. 20 p. 104—7.
2) Br. 1520.
3) ib.
4) Br. 1522.
5) Br. 1427.
6) H, p. 14 et 21.
7) cf. Henz. 6948, Bononiae.
8) X, 2, 6976 = Wil. 1250 = Henz. 6924 not. = Grut. 373,4.
9) Grotefend. P. R. E. IV, p. 899.
10) p. 93/94, 296.
11) opp. IV, p. 254.
12) cf. Recueil des. not. et mém. de la soc. arch. du dép. de Constantine 1882 p. 361.

Etiam cohortis V Raetorum praef. commemoratur, (Sex. Cornel. Dexter), praef. alae I Aug. gem. colonorum [1]), etc. ob bellum Iudaicum [2]) donis militarib donatus in titulo Saldis Mauretaniae effosso [3]). Errore Claracius [4]) cum praef. praetorum praebeat, iniuria Beckerus [5]) „coh. V Raet." cum arbitrio suppletum esse censuit.

Cohortem autem VI Raetorum cum VII. inter annos 42 et 117 in Germ. fuisse Hartungius coniecit [6]), et Vindonissae in castris eam egisse Mommsenus [7]) probavit. Tegulae enim ibi inventae praebent „C. VI. Raeto" [8]) et „C VIR" [9]). Nominatur praeterea coh. in lapide Celeiensi Norici [10]) c. a 106 p. Ch. dedicato Traiano a. praef. h. coh., trib. mil. leg. VII c. p. f.

Equitatam cohortem fuisse indicat, si sincerus est, titulus Gruterianus [11]) (e Mazochio sumptus) in Raetia repertus, (?) quem „—Raven(nas), eq. coh. VI R. (fortasse VI vel V PR?) Fossiae Gnome matri" posuerat. In titulo Muratoriano [12]) lapidis Vesontini, qui praebet praef. coh. „VI. Rallorum", Raetorum fortasse potius quam Gallorum emendandum esse recte monuit Orellius [13]), cum haec emendatio facilior sit (RALLORVM). Notitiae dignitatum aetate coh. VI Raetor. Valeriae cognomine ornata in Raetia erat. (Venaxamodori) [14]), quod cognomen exeunte saec. III vel ineunte IV videtur accepisse.

---

[1]) cf. Vaders. p. 16.

[2]) a. 135.

[3]) VIII, 2, 8934 = Wil. 1254 = Hz. 6924.

[4]) „Musée des sculptures" 13 p. LXXIV, 23.

[5]) B. J. 20 p. 105.

[6]) II, p. 26.

[7]) „Die Schweiz in röm. Zeit" in „Mitth. der antiq. Ges. in Zürich IX, 1856".

[8]) J. Helv. 344, 8.

[9]) ib. 344, 9.

[10]) III, 5202 = Or. 486 = 785 = Mur. 230, 8 = 1038, 2.

[11]) 568, 8.

[12]) 819, 7.

[13]) Or. 486 cf. Hassenc. p. 51.

[14]) occ. 35, 17.

Cohors VII Raetorum a. 74 et 116 in Germ. sup. in praetorio erat [1]), quo ad bellum contra Civilem gerendum eam venisse Hartungius suspicatus est [2]). Non in Sextilii Felicis exercitu fuisse eam [3]), cum Raetia Vitellio fidem servaret, Urlichsius coniecit [4]). Vindonissae autem ut VI in castris eam fuisse indicant tegulae eius ibi repertae, ubi legitur: C. VII. R. [5]), et equitata nominatur in lapide Mentesae Oretanorum (Tarrac.) invento [6]), ubi „—praef. eius in Germ., trib mil. leg. XXII (primig)eniae piae fid . . . .“ legitur, cuius frater praef. coh. II Gallor. eq. in Dacia erat [7]). Recte igitur iam Cardinalius in illo titulo pro Gruteri „praefectorum“ „Raetorum“ proposuit neque cum Orellio et Aschbachio [8]) „praelectorum“ legendum est. De C. Camurio Clemente praef. coh. VII Raet. eq. iam supra [9]) diximus.

Cohors autem VIII Raetorum a. 80 [10]), 84, 85 [11]) in Pannonia erat, a. 110 [12]) in Dacia; quod in bello Dacico fortiter pugnaverat, civium Romanorum cognomine ornata. Alii numeri cohortium Raetorum non innotuerunt, qua de causa Beckerus [13]), cum etiam Vindelicorum cohortium non plus quattuor fuerint, ex illis octo gentibus, quas Plinius [14]) ex tropaeo gentium Alpinarum devictarum affert, illas VIII cohortes conscriptas fuisse itemque ex quattuor Vindelicorum nationibus IV illorum cohortes putavit. Quam opinionem, cum utriusque gentis certe plures nationes fuerint, Christius [15]) refutavit.

---

1) d. 9 et 27.
2) p. 31.
3) h. III, 5, IV, 70.
4) B. J. 9 (1846) p. 140.
5) J. Helv. 344, 10.
6) II, 3237 = Or. 3425 = Gr. 550, 4.
7) II, 3230.
8) B. J. 20 p. 79.
9) p. 24.
10) d. 11.
11) cf. Henzen. in Bulletino 1883 p. 134/5 et d. 12.
12) d. 25 cf. Harster. p. 39 et 41.
13) B. J. 20 p. 104—6.
14) h. n. III, 20.
15) „Münch. Sber. 1867 p. 440/1.

Coh. Rauracorum cf. I Sequanor. et Raur.

Deinde qua ex gente cohors „Rhamae(ensium) milliaria in Syria“ conscripta fuerit, non plane apparet, a Rhamis Thraciae cohortem nominatam esse Harsterus[1]) suspicatus est. Commemoratur enim in titulo Augustae Treverorum reperto, quem centurioni leg. I, [c]hortis Rhamae etc., qui Asia oriundus Trallis defunctus erat, Aug. Treveror. uxor posuerat[2]).

Cohortis deinde sagittariorum tractavit J. Beckerus[3]). Initio orientis praecipue gentes sagittis pugnabant, ut Ponticae gentes, Parthi, Syri (Ituraei, Damasc., Hemeseni etc.) et pedites et equites, tum hunc pugnandi morem Numidae et Arabes, Scythae, Sarmatae, Thraces, Cretenses acceperunt. Cretenses sag. in Eumenis exercitu contra Antiochum pugnaverunt apud Magnesiam[4]). Jam a. 133 a. Ch. Scipio Aemilianus in Numantia oppugnanda sagittarios copiis interposuerat[5]), cum Cato quanto commodo eorum ars esset demonstrasset[6]). Pompeius „sagittarios e Creta, Lacedaemone, e Ponto atque Syria reliquisque civitatibus III milia numero habebat“ [7]), plerique erant hippotoxotae[8]). Caesar Cretas sagittarios contra Belgas duxit[9]). A Romanis videntur Galli hanc artem accepisse, cum magnus sagittarior. numerus in Gallia sub Vercingetorige fuerit[10]). A. 16 contra Germanos in Germanici exercitu pedites et equites sagittarii pugnaverunt[11]), quos alam Thracum et I Thracum et cohortem I sagittariorum, cum harum in Germania tituli inventi sint, fuisse Hartungius coniecit[12]). Anno 26.

---

[1]) p. 45.

[2]) Br. 787.

[3]) „Zur Gesch. des Bogenschützencorps in den Heeren der röm. Kaiserzeit“ in appendice ad „Neujahrbl. des Ver. f. Gesch. u. Alterthkde zu Frankfurt a/M. 1868“.

[4]) Liv. XXXVII, 40.

[5]) Frontini Strat. IV, 7, Veget. I, 15.

[6]) Veg. I, 15.

[7]) Caes. b. c. III, 4.

[8]) b. G. II, 7.

[9]) b. G. VII. 31 „Strabon. IV, 4, 3, p. 196.

[10]) a. II, 16.

[11]) p. 18 et 19.

[12]) a. IV, 47.

Poppaeus Sabinus „delectos sagittariorum" contra Thraces misit, qui primo eminus sagittas iaculantes multa vulnera fecerunt, tum cum cominus pugnarent turbati a Sugambra cohorte recepti sunt[1]). Ex gentibus igitur, quas supra memoravimus, praecipue sag. cohortes conscriptae sunt. Eas autem cohortes sag., quibus gens non adscripta est, e variis his gentibus mixtas fuisse veri simile est[2]).

Memoratur autem cohors sagit . . . . . in titulo Veronensi[3]).

Cohors I sagittariorum prope Bingium videtur in castris fuisse, cum ibi eius tituli inventi sint. Creticus enim, [Hyperanor., Hyperanoris f.,] Lappa oriundus[4]), et Syrus, ut videtur, fortasse Ituraeus[2]), Tib. Jul. Abdes Pantera, Sidonia (oriundus)[5]), milites (h. coh.) in iis memorantur. Cohortem autem in Germ. sup. stationem habuisse aut milites honesta missione donatos ex Germ. inf. in patriam redituros in itinere (in Germ. sup.) morte obrutos esse ex titulis his collegit Freudenbergius[6]).

Qua ab cohorte I Ulpia sagittariorum videtur separanda esse, cuius vexillato inter annos 114 et 116 in Mesopot. erat[7]), A Traiano autem eam conditam esse e cognomine Ulpiae colligi licet.

Diversa ab hac fuit coh. I Aelia sagitt. ,quae Cetii Pann. sup. videtur in castris fuisse, cum „Klosterneuburg" eius tituli reperti sint et tegula[8]), quorum in uno tesserarius nominatur[9]) et quorum ex altero miliariam equitatam

---

[1]) cf. Kohl „Prg. v. Kreuznach" 1880 p. 19/20.

[2]) V, 1, 3359.

[3]) Br. 739 cf. Jl. 14, 516, Becker. t. II, 1, Kohl, Lindenschmit „Tracht" . . p. 21 et t. V, 2.

[4]) Abdes cum nomen Syriacum vel Arab. sit et Sidonia Phoenices oppid. „Sidon" (cf. Justin. h. Phil. XI, 10, 8) significare videatur (cf. Freudenberg B. J. 28 p. 83, Kohl p. 20), Ituraeum eum fuisse veri sim· est. Panterae ei cognomen erat, non Sydoniae, quod Grotef. Phil. XIX, p. 384 n. 2 putavit cf. C. J. L. VII, 18, Th. Momms. cf. Plin. n. h. 8, 17, 64.

[5]) Br. 738.

[6]) l. l.

[7]) III, 600 cf. p. 18. Fortasse ex Ituraeis praecipue constituta erat.

[8]) E. E. IV, n. 543 = III, 1, 4664.

[9]) III, 2, 5646 = Steiner 3350.

cohortem fuisse discimus sub tribuno [1]) et quorum tertius, cum cohors Severiana cognominata sit et Agricola et Clemens coss. afferantur, etiam a. 230 eam ibi fuisse sub tribuno indicat [2]). Cognomen autem a Septimio Severo videtur accepisse honoris causa [3]) vel a Caracalla [4]), qui tamen Antoninianae cognomen praecipue cohortibus dedit [3]). Aelii cognomen iam videtur ab Hadriano duxisse, cum is fortasse eam condiderit.

Quibus a cohortibus certe discernenda est cohors I sag., quae Drobetis Daciae stationem videtur egisse, cuius miles Aur. Julius immag(inifer) fuit [5]) et quae ∞ Gordiana appellatur in titulo, quem ipsa in illa regione [6]) Mar[ti] Gra[d]ivo dedicaverat [7]), qua appellatione inter annos 238 et 244 videtur ornata esse. Notitiae autem aetate quae cohors I sag. in Aegypto fuerit [8]), non iam cognoscitur.

De coh. II sag. nihil notum est.

Neque, ubi coh. III sag. stationes habuerit, ex titulis repertis cognosci potest. Praef. enim eius praeterea erat praef. iterum coh. II Asturum secundum titulum prope novum Nomentum effossum [9]), qui cum Camalodunum Britanniae colonia appellata sit, post a. 50 scriptus est [10]), et alius praef. Claudio imperante trib. mil. leg. IV Scythicae Vespas. imp. inter praetorios adlectus erat secundum titulum Apameae Bithyniae repertum [11]).

Deinde num Saravates an Caeracates gens illa nominata fuerit, quam Tacitus [12]) Tutoris copias auxisse narrat,

---

1) III, 2, 5645 = Steiner. 3351.
2) III, 2, 5647.
3) cf. Aschbach. B. J. 20. p. 56.
4) cf. Marq. II, p. 457.
5) III, 1, 1583.
6) „Turnu-Severinu".
7) III, 2, 6279.
8) or. 28, 40.
9) Wil. 1815 = Or. 208 = Gr. 439, 5.
10) a. XII, 32.
11) III, 335.
12) h. IV, 70.

dubium est, sed cum hi non alibi commemorentur, coniectura „Saravatium" probabilitatis speciem prae se fert.

Etiam ex Sardis cohortes fuerunt conscriptae, quae tamen praecique in insula ipsa, ut contra latrocinia pacatam provinciam tegerent eoque deportatos custodirent[1]), stationem habebant. Anno 68 Sardi in legione I adi., quam Galba constituerat, stipendia meruerunt[2]), fuerunt etiam in classe Misenensi[3]). Nominantur autem in titulis duobus extra Calarim[4]) et Calari[5]) rep. cohortis Sardorum et I Sardorum milites quos eiusdem cohortis fuisse Mommsenus opinatus est[6]). Videtur etiam cohortis Sardorum mentionem fieri in lapide Gruguae (Sard.) rep.[7]) et cohortis I Sardorum in tegula Sarda[8]).

Cohors I gemina Sardorum et Corsorum (sive Cursorum) a. 88[9]) et 96[10]). in Sardinia erat.

Cohors autem II Sardorum in Numidia et Mauretania Caes. castra habuit. Calamae enim Numidiae huius, ut videtur, titulus inventus est[11]), ubi legitur miles „chor CT Sardorum"[12]). Tum autem „Sûr-Djuab" plures militum h. c. tituli sunt detecti[13]), qui ibi cohortem fuisse indicant. Tum prope „Hadjar er-Rûm" (Altavam) Maur. Caes. tres eius tituli prodierunt, e quibus etiam ibi stationem habuisse cohortem apparet[14]). Ex uno Dianae deae nemorum annua vota dedisse praef. coh.[15]) cognoscimus, alterum posuit cohors ipsa Getae ante a. 212,

---

[1]) a. II, 85, XIV, 62 XVI, 9, Joseph. Ant. 18, 3, 5 cf. Jung. „Rom. Landsch." p. 525.

[2]) d. 59 E. E. II, p. 455.

[3]) cf. Mur. 862, 3 et 856, 8 = La Marmora. II, p. 494 n. 65, 66.

[4]) X, 2, 7591 = Mur. 784, 3 = La Marm. II, p. 490 n. 58.

[5]) X, 2, 7594 = Mur. 822, 1 = La M. p. 491 n. 59.

[6]) X, 2, p. 777.

[7]) X, 2, 8321.

[8]) X, 2, 8046 cf. p. 998.

[9]) d. 63 = 7883.

[10]) d. 18 cf. X, 7890.

[11]) VIII, 1, 5364.

[12]) Henz. Ann. 1860 p. 69 „Sard" legit.

[13]) VIII, 2, 9198, 9200, 9202, 9207.

[14]) cf. Henzen Ann. 1860 p. 73.

[15]) VIII, 2, 9831.

inde a. quo eius nomen videtur erasum esse[1]), tertium praeposit. quidam coh. n, dec. alae Trh (Thracum), Nemesi dedicavit[2]).

Tum cohors quaedam I Sebastenorum in titulo Dalmatico Iaderi reperto nominatur praefecto coh. ab amico posito[3]). Galatae quidem *σεβαστηνοί* vocabantur[4]), sed cum ipsi cohortes vel alas sub ipsorum nomine Galatarum Romanorum exercitui praebuerint, non ex iis hanc Seb. cohortem conscriptam esse veri simile est. Quattuor autem Asiae oppida „σεβαστή" vocabantur[5]): Phrygiae maioris, Ponti Polemoniaci, Ciliciae tracheae, Syriae. Quoniam igitur Syriae etiam aliae urbes, ut Apamea, Damascus, Emesa, Tyrus cohortes Romanis praebuerunt, et apud Jesephum[6]) tria milia Sebastenorum et ala eorum[7]) in Iudaea leguntur, ex hoc Syriae oppido cohortis milites sumptos esse mihi videtur probabile esse.

Sequani et Rauraci a Caesare in deditionem accepti una videntur in cohortibus auxiliariis stipendia meruisse, cum singulares eorum cohortes non commemorentur. A. 21 p. Ch. Silius agros Sequanorum, cum rebellasent, vastavit[8]). Tum in bello a. 70 contra Civilem gesto Lingonas Sabino duce fuserunt[9]).

Videtur autem coh. I Sequanorum et Rauracorum „Miltenberg" Bavariae in limitis castro stationem habuisse, cum ibi eius tituli inventi sint. Numerus excidit in titulo Brambachiano 1744, sed alter lapis a. 191 p. Ch. positus[10])

---

[1]) ib. 9833.

[2]) ib. 10949.

[3]) III, 2916 = Mur. 818, 8. cf. E. E. IV n. 370. cf. Plin. h. n. V, 147.

[4]) cf. Marq. St. V. I[2] p. 358.

[5]) ib. p. 337, 5, 374, 385, 426, 429 cf. Plin. n. h. V, 69.

[6]) b. Jud. II, 3, 4 cf. Jung „Militärverh. etc." s. III, Iudaea.

[7]) Antiq. XX, 6, 1 cf. XVIII, 4, 1.

[8]) a. III, 45.

[9]) h. IV, 67.

[10]) B. J. 63 (1878) p. 177, Christ. Br. 1740 = Hz. 5886.

cent. coh. n. sigillum Mercurii (Arverni[1]) fecisse eique dedicasse indicat. Fortasse etiam hinc lapis ille Francofurti ad Moenum a. 1872 in muro aedis cathedralis repertus[4]) eo advectus est, a. 192 factus, ubi legitur: . . . . . . ATOD (= (Sed)ato (?) vel Ato(xto?) deo s.[5])) (c)oh. I. Seq. et 1 . . . . . . cur. ag. —, cent. leg.

Tum cohortis I Seq. et Raurac. eq. aeneatores[6]) commemorantur in titulo „Steinbach“, quod prope „Schlossau“ in magnoducatu Badensi situm est[7]), efosso. Deinde cohortis I miliariae Seq. et Raur. mentionem fieri in monumento in arce „Limburg“ (nunc „Biburg“) prope „Pfoering“ reperto, quod non iam superest, Beckerus[8]) quidem suspicatus est, cum Apianam lectionem esse „CO H. IM_SQVER CONME etc.“ putaret, sed Mommsenus[9]) cum illam esse „COHIM_SSVIS QVERCONIMETE etc.“ moneret[10]) de cohorte I. F. C(anath. l norum), quae ibi agebat, cogitavit. (Fortasse „coh. I mil S(everianae) Sur(orum) s(agittariorum) eq(uitatae) ex conl(ata) pec. iter. restituit“ legi potest).

Cohors Silau(ci)nensium tituli Asciburgii prope „Meurs“ (Düsseldorf) reperti[11]) qua e gente constituta fuerit, non plane certum est, fortasse e Silacenis Assyriae populo a Strabone laudato[12]), cum militis nomen, missicii ex coh. „Tib.

---

1) B. J. 63, pag. 177, ita legit Urlichsius, cum scriptum sit: MERCVRJC IIVI cf. etiam aram ibid. rep. Hz. 5875, dum Hefnerus[2]) et Henzenus „Ci(sson)“, Christius[3]) „Cim(briano)“ cl. Caes. b. G. I, 37, 3 legerunt, quod recte Urlichsius refutavit, cum „cl“ illud ad „Mercuri“ referendum sit.

2) n. 62.

3) l. l.

4) Becker. B. J. 53/4 (1873) p. 154 et Christ. l. l.

5) Becker. l. l.

6) i. e. cornicines, tubicines, bucinatores cf. Cauer. E. E. IV, p. 374/5.

7) Wil. 1513 = Br. 1738 = Hz. 6793.

8) B. J. 21 (1854) p. 88/89 cf. Hefner „Röm. Bayern“ 1852 n. 68.

9) III, 2, 5911.

10) cf. Grut. 51,6: 1 ml s suisque r con m f et rest (ex Apiano et Lazio).

11) Hettner, Kat. d. Bonn. Mus. 1876 n. 101 = Br. 230 = Hz. 6861.

12) XVI, 1, 18 p. 745. cf. Hettn. l. l. et Urlichs. B. J. 25 p. 27.

Jul., Caretis (= *Χάρητος*) f., Sdebsdas, domo Turo" Syriacum sit [1]) et domus Tyrus videatur [1]), qua de causa id quod Hartungius [2]) coniecit, militem e gente Turonum („Tours") fuisse et cohortem a Silacenis, Pannonicae gentis alicuius capite, nominatam esse non probabile esse puto.

Cohors deinde singularium, quae Auziae Maur. Caes. videtur in castro fuisse, ita appellata est, quod milites ex diversis gentibus eligebantur [3]). Discernenda igitur est ab „equitibus singularibus Augusti" vel „imperatoris." Memorantur autem in titulis Auziensibus IV: (Q. G)argilius Martialis, praepos. coh.,in titulo illo a. 260 [4]), tum Arsus quidam „ex coh. sing. [5])", tum cent. [6]), denique miles, beneficiarius [7]). Lapis autem ille Noricus prope „Lauffen" inventus [8]) cum non „coh. p. s." (= peditum singular.) praebeat, sed „co. II pr. [9])" ad cohortem praetoriam spectat. Pedites deinde singulares Britannici a. 110 in Dacia erant [10]), qui Aschbachii iudicio [11]) simili ratione atque equites sing. singularibus officiis militaribus fungebantur.

Suebos a. 50 „egregia adverus Romanos fide" fuisse et a. 69, cum regibus „vetus obsequium erga Romanos" fuerit, delectos popularium cum principibus in Romanorum acie fuisse Tacitus narrat [12]); sed cum addat „gentem fidei quam iussorum patentiorem" fuisse; non videntur proprias cohortes effecisse.

Sugambri, ferocissima gens [13]), equitum duobus milibus coactis cum Rhenum transgressi essent [14]), Caesare appropinquante

---

1) cf. Janssen „Rh. Mus." XI. p. 445 sec. Hagenbuchium.

2) II. p. 13.

3) cf. Henzen. „Sugli Equiti Singolari" Ann. XXII, 1850 p. 13 et Aschbachii recens. B. J. 18 p. 197, Marq. St. V. II, p. 473 et 458.

4) VIII, 2, 9047 cf. eq. Maur. et I Astyr. Hassenc. p. 15 v. 20.

5) VIII, 2, 9054.

6) ib. 9055.

7) ib. 9058. cf. Cauer E. E. IV p. 399 n. 403.

8) Grut. 524, 2.

9) CJL III, 2, 5596.

10) d. 25.

11) „Jb. f. vat. G." Wien 1861. I, p. 270/71.

12) h. III, 5, 21. a. XII, 30.

13) Caes. B. G. VI, 35, 7 Hor. c. IV, 2, 36; 14, 52; Juv. S. IV, 147.

14) Caes. B. G. VI, 35, 5.

rursus refugerunt[1]). Tum a. 16 a. Ch. una cum Tencteris et Usipitibus Marcellum Lollium proconsulem profligarunt quidem[2]), sed postquam Drusi expeditionibus Germanicis debilitati sunt, tandem a. 8 a. Ch. a Tiberio magna eorum pars (XL milia, si sequimur Suetonium[3]),) „consilio magis quam armis“[4]) in deditionem accepta trans Rhenum transducta est, ceteri in interiora loca se receperunt[5]). Fortasse iam a. 16 p. Ch. inter Germanos auxiliares in Germanici exercitu pugnaverunt[6]). A. 26 cohors Sugambra „prompta ad pericula“ in Romanorum exercitu contra Thraces pugnavit delectospue illos sagittariorum turbatos recepit[7]). Cui autem legioni ibi attributa fuerit et quam diu ibi morata sit, memoriae non est traditum recteque mihi videtur Stillius animadvertisse saepe „auxilia a legionibus secreta mutasse provincias“. Fortasse ob hanc in bello Thracico probatam virtutem a Tiberio Claudiae nomen accepit, quo anno 134 ornata erat cum in Moesia inf. versabatur, ubi cohorti I Palmyr(a) quidam oriundus praeerat, quod ex diplomate illo anno militi Stobis oriundo dato compertum habemus[8]).

Circa annos 114/116 vexillatio cohortis I Sygambrum in Mesopotamia fuit[9]). Praeterea praef. huius coh. nominatur in titulo urbano[10]).

De cohorte II et III Syg. nihil constat.

Cohors autem IV Sugambrorum Caesareae Maur. Caes. videtur in castris fuisse, cum duo in ea regione tituli eius inventi sint, quorum alter[11]) praefecto coh. Sigambrorum[12])

---

[1]) ib. 41, 1.

[2]) Dio LIV, 20, 4, 5. cf. Schiller. „Gesch. der röm. Kaiserzeit“ 1883 p. 214.

[3]) Tib. 9.

[4]) a. II, 26.

[5]) Strabo VII, 1, 3 cf. Schiller. p. 220.

[6]) cf. Hartung. p. 16.

[7]) a. IV, 47.

[8]) d. 34.

[9]) III, 600 cf. p. 18.

[10]) Hz. 6704.

[11]) VIII, 2, 9363 = Wil. 1270.

[12]) „requiritur Syg. vel Sug“ Th. M.

post a. 81 positus numerum quidem non praebet, sed ad hanc cohortem eum spectare et alter ibidem repertus[1]) militi „chortis quarte Sucambrorum“, pediti singulari[2]), centuria Flori, positus et alii cohortis in prov. Maur. Caes. et Africa reperti tituli indicant. Auziae enim tribuno coh. IV Syngb., a militiis[3]), primipilo[4]), trib. coh. IV vig(ilum), ex dec(urione) alae Thracum, pr(ae)p. vex. eqq. Maurorum, decurioni coloniae Auz. etc. filia monumentum posuit a. 255[5]). Tum Thuburbone Maiore Africae ordo decurionum centurioni coh. IV Sygambror., coh. I Hisp., misso honesta missione a divo Hadriano titulum posuerat[6]).

Notitiae autem aetate fortasse etiam coh. VI. Sugambrorum fuit in castris Lapidariorum (Theb.)[7]), cum pro eo quod traditum est „sexta saginarum“ recte videatur Seeckius[8]) „Sugambrorum vel sagittariorum“ proposuisse.

Deinde Sunuci, quae Plinio teste[9]) Belgica gens erat finitima Tungris et Ubiis, num primo a Civili, cum is eorum „iuventutem per cohortes compositam“[10]) contra Labeonem duceret, ad militiam Roman. adacti sint[11]), dubium est. Fortasse enim iam a. 16 in Germanici exercitu pugnaverunt, si recte Hartungius[12]) id statuit, qui praeterea cohortem I Sunucorum inde ab a. 74 usque ad 120, quo in Britanniam transisset, in Germauia egisse coniecit. Sed hac in re Urlichsius[13]) videtur rectius existimasse Sunucos iam post Civilis seditionem exstinctam in insulam esse amotos, postquam cohortes eorum

---

[1]) VIII, 2, 9393.

[2]) cf. Momms. E. E. IV, p. 402 ad Cauer. n. 10.

[3]) cf. Liebenam l. l. II, p. 24.

[4]) De transitu huius e militia, qua in coh. auxiliaria perfuncta erat, in legionariam cf. Domaszewski Arch. ep. Mitth. V, 1881 p. 203 sq.

[5]) VIII, 2, 9045.

[6]) VIII, 1, 853.

[7]) or. 31, 66.

[8]) p. 66 not. 19.

[9]) n. h. IV, 17, (31) 106.

[10]) h. IV, 66.

[11]) Huebner. Herm. XVI, p. 551.

[12]) p. 16.

[13]) „Schlacht etc.“ p. 26.

fortasse iam a Nerone ad supplendam leg. IX eo missae Civilis seditionis participes fuissent. Erat enim a. 124 ibi cohors I Sunucorum, quod ex dipl. militi [Su]nu[c]o dato apparet[1]). Tertio autem saeculo ineunte videtur Segontii cohors egisse, cum ibi eius lapis detectus sit[2]), qui videtur post a. 193 positus esse.

Tum cohors Surorum videtur Caesareae in castris fuisse, cum eius titulus ibi inventus sit (cf. Bull. épigr. II p. 280). Ibidem agebat etiam numerus Syrorum (cf. ib. p. 140).

Cohors autem I ∞ nova Severiana Surorum sagittariorum Ulsisiis Pann. inf. in castris videtur egisse. Ibi enim inventae sunt statuae Severo Alexandro eiusque matri a. 230 a cohorte I ∞ n. S. S. s. dedicatae.[3]) Quam ad cohortem fortasse etiam spectat titulus iam evanidus ib. repertus[4]), ubi „(v.) (= veteranus) coh. ∞ N :.. S S“ legitur. Nomina autem cohortis nuperrime demum cognovimus eo quod Salvae, quod non procul ab hoc castro situm est, titulus signiferi repertus plenam cohortis significationem praebet[5]). Ceterum n(umerus) Surorum sag. in titulo Dacico[6]) legitur. De gentibus sagittariis cf. supra coh. sag.

Tauriscorum deinde cohortis mentio fit in inscriptione spuria[7]).

Etiam Thebaei Aegypti in Romanorum exercitu stipendia meruerunt. Cohors I equitata in Nubia aliquamdiu egit[8]), cum in vico „Talmi“ eius tituli inventi sint. Augusti temporibus novem cohortes auxiliariae in Aegypto stationes habebant, tres Alexandriae, tres, ut praesidio essent contra Aethiopas vicinos „Syenae“, tres per reliquam Aegyptum[9]). Sed quando et quam ob rem, utrum ad expeditionem adversus Aethiopas an ad castella ibi aedificanda eo missa fuerit, non

---

[1]) d. 30.
[2]) VII, 142 cf. Huebner. Herm. XVI.
[3]) III, 1, 3638 et 3639.
[4]) ib. 3640.
[5]) E. E. IV n. 440.
[6]) E. E. IV, p. 411 n. 26 = HI, 1593.
[7]) III, 2. 248*
[8]) cf. Franz. CJG. III, p. 313 sq, Marq. I² p. 439 n. 4.
[9]) Strab. XVII, 1, 12 p. 797.

exploratum habemus[1]). Nominantur autem in titulis illis Talmi repertis Manduli deo dedicatis equites coh. I Thebaeorum equit.[2]) et miles coh. I Thebaeorum[3]). Fortasse etiam huc spectat inscriptio ibid. rep., ubi mil . . . . . nominatur[4]) et titulus equitis h. fortasse cohortis ad Hieran Sycaminon repertus[5]). Tum cohortis I Theb. praefectum (vel trib.) cum tribus centurionibus inter vexillarios cohortium septem, alarum trium fuisse, per quos lacci aedificati sunt „Appollonos Hydreuma, Compasi, Berenicide, Myos Hormi“, ex tabella „Coptos“ detecta, quae formata est similiter ac tabulae hon. missionis aetatis Antoninorum, cognoscimus[6]).

Etiam cohors II Thebaeorum in Aegypto videtur castra habuisse. Superest enim inscriptio, quam eius praef. in Memnonis pede dextro medio insculpsit anno 95[7]).

Cohortem Thebaeorum aliquam auxiliarem legionis illius Thebaicae fuisse, quae a. 286 inter copias Maximiani Herculei contra Bagaudas missa erat, et, quod cum plerique eius milites christianam fidem profiterentur deis non immolaverat,

---

[1]) cf. Franzium l. l. Ceterum cum etiam aliae cohortes, Tiberii, Domitiani, Hadriani, Antoninorum aetate tetenderient in Nubia, ibi limitem imperii Romani fuisse existimo eamque partem, quae Dodekaschoenus vocabatur, (cf. Kiepert. „Lehrb. d. alt. Geogr.“ p. 185). Aegypto provinciae additam fuisse, si non inde ab Augusto, id quod Kiepertus posuit, attamen brevi post usque ad Diocletiani aetatem (cf. Franz. ad III n. 4946). Strabonis enim aetate Syene et Elephantine oppida in Aegypti et Aethiopiae confiniis sita erant (VII. 1, 3 p. 787), quae Tacitus (a. II, 61) „claustra olim Romani imperii“ nominat. Num autem Plinii maioris aetate ibi etiam finis imperii Romani fuerit, cum ille id ex alio rerum scriptore fortasse sumpserit (n. h. V, 59), dubium est. Itaque mihi videtur Marquardti illa opinio finem imperii Romani ad Syenen fuisse non probanda esse.

[2]) CJG. III, 5053 (cf. Grotefend. „Philolog.“ XII a. 485 sq.) et 5054

[3]) III, 5052.

[4]) CJG. III, 5055 „Niebuhr. minus probabiliter „coh. II Ituraeorum“ coniecit“ (Franz.).

[5]) ib. III, 5117.

[6]) cf. Bull. épigr. III, p. 199.

[7]) CJL. III, 1, 37 = Hz. 5305.

decimata est[1]), eadem fortuna afflictam esse Braunius[2]) suspicatus est. Coloniae Agrippin. enim cum hominum sexaginta septem reliquiae et undeviginti capita ferreo clavo perfossa reperta sint et Gregorius Turonensis[3]) quinquaginta ex legione Thebaica milites securi percussos esse referat, hos duodequinquaginta, quorum capita non perfossa sunt, illos a Gregorio laudatos fuisse vir doct. ille conclusit, cum supponeret duorum illorum, qui iam deessent numero a Gregorio allato alterum separatim esse sepultum, alterius reliquias omnino non repertas. Quod quidem num recte coniecerit, valde dubitari potest.

Difficilis deinde quaestio est, quomodo Thracum cohortes sint distinguendae, qua de re post Henzenum[4]), Aschbachium[5]) Boeckingium[6]), Christium[7]) Mommsenus potissimum[8]) egit eumque secuti Huebnerus[9]), Urlichsius[10]). Thracum reges inde ab eo tempore, quo crebris bellis coacti societatem cum populo Romano inierunt, videntur cohortes auxiliares ad Romanor. exercitum augendum misisse. Erant enim Thraces iam in Pompei exercitu cum contra Caesarem pugnaret[11]), tum Augusto et Tiberio imperantibus singulari in exercitu sub ipsorum ducibus militabant et „non nisi adversum accolas belligerabant“[12]). Quae etiam causa erat, cur nonnullae Thracum nationes a. 26 seditionem moverent, nam cum dilectus haberentur rumor ortus erat „fore ut disiecti aliisque nationibus permixti diversas in terras traherentur“. Itaque mihi videtur recte Stillius[13]) coniecisse cohortes cum legione XX non in Germaniam profectas ibi interfuisse pugnae in campo, cui

---

1) Ammian. Marc XXX, 10.
2) „Bonn. Winckprg.“ 1852.
3) de gloria martyrum I, 62.
4) B. J. 13. (1849) p. 44 sq.
5) ib. 20 (1853) p. 59 sq.
6) ad Not. II, p. 686 sq.
7) „Dipl. v. Weissenburg“ p. 443 sq.
8) CJL III ad n. 109.
9) Herm. XVI, p. 567/9.
10) „Schlacht etc.“ p. 22 sq.
11) b. c. III, 95, 3.
12) a. IV, 46, 47.
13) p. 141.

Idisiaviso nomen est, commissae, id quod Hartungius suspicatus erat[1]. Magna eorum pars a Poppeao Sabino devicta est, cum reliqui in Haemum montem se reciperent[2]. Tum a. 46 Thracia a Claudio in provinciae formam redacta est[3]. Quando primum in Germaniam Thracum cohortes venerint, incertum est. Hartungius[4] post a. 43 una cum legione III Gallica ex Moesia complures (III, IV eq., VI eq.) eo venisse statuit. Sed neque a. 43 sex cohortes Thracum in Britanniam translatas esse, id quod Huebnerus suspicatus est[5], neque inter illas copias quae a Nerone ad leg. IX supplendam eo missae sunt, fuisse cohortes Thracum Urlichsius[6] mihi videtur probasse, cum diversas illas terras, de quibus supra diximus, non Britanniam, sed Germaniam intellegendam esse[7] et inter octo illas cohortes a Nerone missas[8] nullas nisi Gallorum Germanorumque vel paucissimas aliarum gentium fuisse ostenderit. Certe a 69 cohors Thracum in Caecinae exercitu fuit, cum Helvetios „Vitellii imperium abnuentes"[9] ad deditionem compelleret[10]. Quam cohortem III c. R. fuisse, cum eius titulus Raeticus „Haunsheim" prope „Lauingen" rep. meminerit[11], Jungius[12] putavit, sed recte videtur Allmerus[13] hanc I fuisse coniecisse, quae in titulo, qui non iam superest, „Annecy" Helvetiae reperto sub tribuno commemoratur.

Annis 74 et 82 cohors I. Thracum in Germ. sup. castra habebat secundum diplomata h. a.[14], a. 86 autem una cum II

---

[1] p. 19.
[2] a. IV, 51.
[3] cf. Marq. St. V. I² p. 313.
[4] p. 25.
[5] Herm. XVI, p. 569.
[6] „Schlacht etc.". p. 22 sq.
[7] p. 22.
[8] a. XIV, 38.
[9] h. I, 67.
[10] h. I, 68.
[11] III, 2, 5880.
[12] „Militärverh. etc. sub III, Raetia".
[13] I, p. 414 n. 110.
[14] d. 9 et 68.

in Judaea[1]). Eam in Germania fuisse etiam titulis confirmatur prope Mogontiacum repertis. Qua de causa Aschbachius[2]) putavit legioni IV Macedonicae, quae imp. Vitellio ibi in castris erat, et cum haec a Vespasiano ad Danuvium flumen translata esset, legioni I adi. cohortem Germanicae cognomine ornatam[3]) attributam fuisse. Inde fortasse una cum vexillo legionis IV Mac. in Caecinae exercitu profecta est in Italiam, cum Hartungius inter legionis XXI rapacis auxilia eam fuisse coniceret[4]). Tum cohortem I Thracum inter quinque illas fuisse, quae in agro Mediomatricorum Herculi Saxsano una cum vexillariis legionis XXI rap. monumentum posuerunt in lapicidinis[5]), hasque inter Sextilii Felicis copias fuisse Urlichsius[6]) e Vespasiani diplomate a. 74 et ex eo quod legio illa apud Rigodulum Caecina duce Treveros devicit, collegit, sed non prorsus certum est. Nominatur autem in titulo Moguntiaco[7]) cohortis Thracum miles „. . sese(ius), Lenulae f., Dansala oriundus“ i. e. ex oppido Denseletarum[7]) s. Dantheletarum[8]), Thracibus confinium. Quo ex oppido cum etiam „eques in coh. IV Trhacum[9])“ oriundus esset, qui in titulo ibidem reperto nominatur[10]), Aschbachius[11]) etiam hic „coh. Thracum“ legere maluit, cum Freudenbergius[13]) utrum in illo I an IV legendum sit, in medio reliquerit. Quamquam igitur eodem ex oppido oriundos in eadem cohorte stipendia merere non necesse est, tamen probabile

---

[1]) d. 14.

[2]) l. l.

[3]) sed de hoc cf. infra.

[4]) p. 28.

[5]) cf. Osann. „Zs. f. Alterth. W. 1837 n. 47 („Norroy“ prope „Pont-à-Mousson“ rep.)

[6]) B. J. 9 (1846) p. 140 sq.

[7]) Br. 980 = Gr. 572, 1 cf. Freudenberg. B. J. 39/40 (1866) p. 185.

[8]) Plin. n. h. IV, 1, 3.

[9]) Liv. 29, 53.

[10]) cf. Haug „Röm. Denkst. etc.“ (prg. Mannh. 1877 p. 36).

[11]) Br. 1290.

[12]) B. J. 20 p. 61.

[13]) l. l.

videtur. Itaque fortasse cohors illa, cuius numerus in titulo altero omissus est, quarta erat Thracum. Sed eodem iure Moguntiaci cohortem Thracum et IV Thracum fuisse statui posse non nego[1a]). Tum cohors „Traecerum" (sic!) in titulo Coloniae Agrippin. effosso memoratur[1]), ubi cum scriptum fuisse: „COHIRAECIROM" Aschbachius[2]) existimaret, cohortem I Rae(torum) ci. Rom. intellegendam esse putavit, cum id quod Cavedonius proposuerat legendum esse „coh. Thrac. Germ", recte refutaret adnotans tum demum cohortem, cum in Pannonia una cum altera I Thracum erat, hoc cognomen accepisse. Suo iure igitur Huebnerus[3]) nihil omnino mutandum esse affirmavit. Ibidem cum etiam titulus coh. I Thracum inventus sit, ubi Baccus (nomen est Gallicum[4]), Lugudunensis, miles nominatur, hanc cohortem cum illa eandem fuisse probabile est. Sed num recte Urlichsius[5]) statuerit hanc cohortem fuisse in Caecinae exercitu et per breve tempus in Germ. inf. stationem habuisse, dubium est. Nominatur praeterea in titulo Borbetomagi invento, qui iam periit[6]), praef. coh. VII Breuc. et coh. I Thra. Etiam prope Antunnacum cohortem egisse ex titulis nuperrime inter vicos „Mülhoven" et „Bendorf" repertis videtur colligi posse[7]). Utrum ibi castellum fuerit, quod ad „Niederbiber" pertinebat, an statio ad pontem custodiendum instituta, nondum exploratum habemus.

Cohortem I Thracum, quae a. 86 in Iudaea fuit, Aschbachius ab hac Germanica diversam existimavit eandemque cum I Thracum ∞, sed Mommsenus[8]), cui assensus est Urlichsius[9]), primo saeculo non fuisse nisi unam cohortem I Thra-

---

[1a]) Boeckingius Not. d. II b. p. 689 de coh. VI Thracum cogitavit, cuius ibi inventi sunt tituli.

[1]) Br. 414 = Gr. 571, 7.

[2]) B. J. 20, p. 61.

[3]) Herm. XVI, p. 568 n. 1.

[4]) cf. Urlichs. B. J. 36 p. 94.

[5]) ib. p. 96.

[6]) Br. 897 = Gr. 14, 8.

[7]) cf. E. Aus'm Weerth. B. J. 72 (1882) p. 122.

[8]) ad III, 109.

[9]) „Schlacht" p. 23 not. 3.

cum probare studuit, cum etiam in diplomate a 86 ita simpliciter nominaretur. Sed iam imperatore Domitiano commemoratur in titulo Aegyptiaco

Cohors I Flavia Thracum, quae fortasse cum Flavia audiat, ab hoc imp. nomen traxit. Repertus est enim titulus militis eius inter Copton et Album portum in Aegypto superiore[1]). Huius coh. vexillatio fortasse etiam circa annos 114/116 in Mesopotamia erat[2]).

Postea autem distinguendae sunt certe coh. I Thracum . . . ab I Thracum equit., cum in eodem diplomate a. 145/60[3]) nominentur, itemque coh. I Thracum Germ. c. R. ab I Aug. Thrac. v[ete]r(ana) diplomatis a. 167[4]), quae erant in Pannonia inferiore. Et Mommseni iudicio coh. I Thracum . . . . diplomatis illius eadem est ac I Thrac. Germ. c. R. huius et I Thrac. eq. non diversa ab I Aug. Thrac. v[ete]rana.

Fuit autem coh. I Thracum civ. Rom. a. 110 in Dacia secundum Traiani legem hon. miss[5]). Videtur ibi, quod fortasse bello Dacico virtute eminebat, civ. Rom. cognomen accepisse, quod etiam tum obtinebat, cum alii milites, qui nondum civitatem Rom. habebant, recipiebantur. Ita enim explicatur, quod a. 110 cohors I Thraç. c. Rom. conubio et civitate donata est[6]). A. 116 cohors haec[7]) fortasse in Germ. sup. castra habuit, tum erat inde ab anno 138 usque ad a. 154 in Pann. sup.[8]). Circa a. 157 videtur Dacorum seditionem oppressisse, si quidem coh. I Thrac. sag. diplomatis illius anni cum hac eadem fuerit[9]). Tum inter annos 154 et 160 eam in Pann. inf. fuisse probabile est[10]), ubi etiam a. 167

---

[1]) CJG. III add. 4716 d. 9.
[2]) III. 600 cf. p. 18.
[3]) d. 42.
[4]) d. 46.
[5]) d. 25.
[6]) cf. Christ. „Weiss. Dipl.“ p. 493 et Momms. „Schweizer Nachstudien“ in. Herm XVI, (1881) p. 462 n. 1,
[7]) d. 27. legitur enim ibi . . . Thrac. c. R.
[8]) d. 36 et 39.
[9]) d. 40.
[10]) d. 42/43 cf. Momms. ad III, 1, 109.

castra habebat[1]), quo tempore ideo fortasse, quod Marci bello Germanico interfuit[2]), Germanica appellabatur. Deinde Severi temporibus cohors I Thracum in Britannia[3]), notitiae dign. aetate in Pannonia II[4]) agebat.

Equitatam cohortem fuisse conicere licet ex dipl. Hadriani[5]) a. 138, quod Treviro cuidam, equiti coh. n., cui praeerat L. Numisius Priscus, Bovianus, datum est, et ex titulo Brigetione Pann. sup. reperto[6]) post a. 134, ut videtur, scripto[7]), ubi Aurel. Vindex, Andautonia, item eq. coh. I Thrac. commemoratur. Praeterea fortasse huc spectat titulus prope Lussonium Pann. inf. detectus, si quidem recte eum supplevit Mommsenus[8]) „— optio [coh. I Th]racu[m] c. [R[o]m] [equita]te“, cuius filius miles leg. I adi. erat, quae Dionis aetate in Pann. inf. erat. Cognominis Germanicae fortasse vestigium superest in tegula „Puszta-Baraos“ prope Intercisam Pann inf. in ruderibus castr. Rom. reperta, ubi legitur „cho I T. G.“[9]). Tum nominatur cohors in titulis Britannicis, quorum unus Severi aetate ante a. 197 scriptus „Bowes“ (Lavatris?), loco satis munito, repertus est[10]), ubi coh. I Thrac. balineum curante praef. eq. alae Vetto(num) restituit. Ibidem etiam alter titulus inventus est[11]), ubi Frontinus quidam commemoratur, qui num is fuerit, qui Brigantes et Silures domuit, cui successit Agricola sub Vespas., id quod Bainbriggius attulit, valde dubium est. In alio titulo Ponte Aelio (Newcastle) rep.[12]) simpliciter coh. Thracum dicitur. In Britannia cohortem fuisse praeterea confirmatur titulo

---

[1]) d. 46.
[2]) cf. Huebn. l. l. p. 568 et Henz. „B. J. 13“.
[3]) VII, 273.
[4]) oc. 32, 59.
[5]) d. 36.
[6]) III, 1, 4316.
[7]) cf. Momms. praef. ad Brigetionem.
[8]) III, 1, 3319 cf. Huebn. Herm. XVI, p. 568 n. 4.
[9]) E. E. II, 776.
[10]) VII, 273 = Gr. 73, 5.
[11]) VII, 274.
[12]) VII, 501.

Vaticano[1]), qui, cum M. Claudius Paulus praef. h. c. etiam trib. leg. XIII gem. in Dacia fuerit, post a. 107 scriptus est, fortasse demum saeculo II exeunte, quippe quo tempore cohors in Brit. fuerit. De Smertali titulo[2]), quem Mommsenus ad I rettulit, vide coh. II Thrac. eq. Haec etiam videtur cohors fuisse, quae inter annos 216 et 247 in Pann. inf. in castro erat, cum notitiae dign. aetate in Pann. II fuerit. Legitur autem in diplomate inter illos annos scripto[3]) nihil nisi „HRA".

Separanda igitur est ab hac altera illa coh. I Aug. Thracum v[ete]rana ∞ eq. Erat autem inter annos 145 et 160 una cum altera in Pann. inf. sec. dipl. Pii, ubi I Thrac. eq. appellatur[4]), ibique etiam a. 167 sec. dipl. Marci et Veri[5]), ubi I Aug. Thrac. v[. . .]r. dicitur., i. e. veterana, ut opinor, quod cognomen cohortibus et alis saepius ut honorarentur ob fortitudinem similiter atque Augustae nomen datum est[6]). In his autem titulis cohors nominatur: In lapide in valle Camonica reperto[7]), quem „— praef. eius, (Camunnis), trib. mil. leg. X g. p. f., a republ. Camunnorum, cui in hoc pecuniam legaverat, t(estamento) p(onendum) c(uravit)", equitata apellatur, tum ∞ in titulo Kelismanensi (vetusti Chytrii Clazomeniorum) P. Claudio Pollioni praefecto a Clazomenio quodam posito[8]). Fortasse haec etiam cohors nominatur in titulo urbano[9]), ubi Verus et Severus praef. cohor. Tr. mil., praef. eq., leguntur. Deinde in titulo prope Flaviam Solvam (= „Seckau") Norici invento[1]) utrum ala an cohors I Aug. Thr. commemoretur, dubium quidem est, sed cum alam ibi

---

[1]) Marini „Atti etc." p. 34.
[2]) VII, 501.
[3]) d. 72.
[4]) d. 42/43.
[5]) d. 46.
[6]) cf. I Aquit vet, III Britton. vet. eq., II v[et]erana, III Thrac. vet. cf. Marq. II, p. 458.
[7]) V, 1, 4957 = Wil. 2168 (= Or. 3789).
[8]) CJG. II, p. 689 n. 3132.
[9]) Gori. III, p. 285 = Henz. „Annali" (1858) p. 27.
[10]) 5330 = Steiner. 2975 vel 2976 cf. Böcking. Not. II b. p. 685 sq.

fuisse compertum habeamus ex dipl. a. 140/4, etiam hunc titulum ad eam pertinere probabile est. Tum in titulis duobus Arabicis Mothae (= Imtau s. Motan) repertis[1]) commemoratur coh. I. Au(g). Thr(ac.) eq., in Arabia autem etiam not. dign. aetate erat, ut Mommsenus putavit, bipertita, ita ut coh. I. ∞ Thrac. in loco, qui dicebatur Adittha[2]), I Thracum in loco, cui nomen erat Asabaiae[3]), stationem haberet. Deinde utrum cohortis an alae I [Th]ra[cum] praef. [Alf.?]inius Secundus, procur. Judaeae vice [Ti.] Julii Alexandri fuerit, cum *σπεῖρα* non constanter cohortem significet in titulis Graecis, dubium est. Nominatur enim in titulo Aradensi Syriae[4]), neque quando vixerit, certum est, cum [Ti.] Julius Alex. aut ille a Dione[5]) laudatus, qui a. 116 Parthos subegit, aut procur. ille Judaeae a. 46—48[6]) intelligi possit; fuit autem praetera trib. leg. V. Neque vero, id quod Franzius proposuit, videtur idem esse cum Alfino (sic enim scriptum est, non „Alfinius“ [7])) Secundo inscr. Or. 2223, cum huius munerum ordo et ratio alia fuerit; erat enim praef. alae I Aug. Thrac., trib. coh. I Ael. Britt., praef. coh. IV Gallorum etc.[8]) si non, ut Desjardins[9]), quod Alpium Atrectianar. mentio fieret in titulo, pro certo affirmavit, III, attamen II saeculo[10]).

Jam videamus de cohorte II Thracum.

Haec erat una cum I a. 86 in Judaea sec. diploma[11]), quod Seuthe, Traibithi f. col(onia) Ole(i)tico (= *Αὐλαίου τεῖχος*) Thraciae oriundo, equiti huius cohortis datum erat, cui praeerat Claudius Montanus. Equitatam igitur cohortem fuisse hinc conicias. Anno autem 103 eam in Britannia fuisse ex

---

1) III, 109 et 110.
2) or. 37, 31.
3) ib 32.
4) CJG. III add. 4536 f.
5) LXVIII, 30, 2.
6) cf. a. XV, 28; Marq St. V. I² p. 412 n. 2, Liebenam. p. 77.
7) cf. Henz. III p. 186.
8) Wil. 1266.
9) „Géogr. de la Gaule“ p. 71 n. 3.
10) cf. Marq. St. V. I² p. 281.
11) d. 14.

Traiani diplomate scimus[1]). Sed num antea coh. Dacicis bellis interfuerit, id quod Henzenus[2]) ex loco, quo diploma a. 86 inventum est, collegit, et utrum inde, quod in Judaea fortiter pugnaverat, Syriacae nomen acceperit an quod bello ab Hadriano ab a. 132 usque ad 135 gesto interfuit, id quod magis crediderim, diversa igitur ab hac Britannica fuerit, dubium est[3]). Syriaca enim vocatur in titulo Praenestino[4]) praefecti eius trib. mil. leg. VII Claudiae p. f., cuius frater praef. coh. IV. Trachum Syriacae fuit iudicio Huebneri[5]) II. saec. exeunte.

Notitiae dign. aetate haec videtur in Aegypto fuisse in castris Musone[6]), cum alia Gabrosenti Britanniae esset[7]). Stativa autem cohortis Britannica in loco, cui nomen est „Moresby“, II et III sc. fuisse, ubi una cum legione XX munimenta videtur erexisse, Huebnerus ex titulis duobus ibi repertis recte conclusit. In altero simpliciter II T(h)racum appellatur[8]), in altero[9]), ubi miles eius nominatur, I[I T]hrac. eq. Nam quamquam Mommsenus[10]) hunc titulum ad coh. I Thrac. c. R. referri maluit, tamen Huebnerus et iam ante eum Braunius[11]), cum lapis fractus sit, recte de coh. II Thrac. eq. cogitaverunt. Quae etiam in titulo Patavii (reg. X) invento,[12]) cum tribus omissa sit post Caracallam scripto, nominatur, cuius et coh. III Thrac. eq. praef. (Priscus) Viennensis erat, trib. leg. X Fretensis, praef. alae Flavianae. Tum etiam per aliquod tempus coh. in turri vel castello minore videtur

---

1) d. 21.
2) B. J. 13 (1849) p. 46.
3) cf. Böcking. II b. p. 926 v. 24.
4) Grut. 565, 2.
5) ad II, 1970.
6) a. 28, 45.
7) oc. 40, 50.
8) VII, 363.
9) VII, 364.
10) ad III, 109.
11) B. J. 26. p. 109.
12) V, 2841 = Boissieu. „Atlas“ n. 265 = Allmer. p. 379 n. 95 = Borgh. opp. VII p. 400 = Vaders p. 28.

egisse, cum in loco, cui nomen est „Mumerills“ [1]), militis natione Brigantis titulus effosssus sit, qui certe post a 71, quo Brigantes a Petilio Cereali subacti sunt, probabiliter II saeculo scriptus est. Videtur usque ad not. dign. aetatem in Brit. mansisse [2]).

Qua a cohorte distinguenda videtur coh. II. Aug. Thracum, quae a 167 una cum duabus primis in Pann. inf. tetendit [3]). Num iam in diplomate Pii [4]) inter annos 145 et 160 scripto nominata fuerit, incertum est. Spectare ad eam etiam titulum imaginiferi [coh.] II Thracum Aquileiae repertum [5]) Huebnerus existimavit.

Tum afferenda est coh. II gemella Thracum eq. i. e. ea, quae duabus ex coniunctis cohortibus constituta est [6]), quae in titulis duobus Numidicis equitum eius commemoratur [7]).

Num inter annos 216 et 247 cohors I vel II Thrac. in Pann. inf. fuerit, dubium esse iam supra memoratum est.

Cohors autem III Thracum a. 80 et 84 in Pannonia erat sec. Titi et Domit. diplomata [8]), anno 107 duae cohh. III Thrac. in Raetia consistebant [9]), altera simpliciter nominata, altera cum cognomine civ. Rom., de quibus inter se diversis recte Christius [10]) disputavit, cum iuxta cohortem cum civ. R. donatam, in quam peregrini milites recipiebantur, paullatim novam peregrinorum cohortem constitutam esse statueret.

Utraque etiam a. 166 in Raetia egit [11]), altera, quae in illo dipl. simpliciter III Thrac. vocata erat, veterana dicta, altera, ut videtur (nam eius cognomen non iam certo legi potest), civ. Rom. cognomine ornata. Cohortem illam III Thra-

---

1) VII, 1091.
2) Gabrosenti cf. supra.
3) d. 46.
4) d. 42/43.
5) V, 953. cf. Herm. XVI p. 569.
6) cf. Marq. St. V. II p. 440 n. 7. cf. II gemina Ligur. et Corsor.
7) VIII, 1, 2251 (Masculae.) 5885 (Sitae; natione erat Bessus).
8) d. 11, et cf. Henzen. in „Bulletino 1883“ p. 134 f.
9) d. 24.
10) Münch. Sber. 1867 p. 443/4.
11) d. 61.

cum equitatam et Augustae cognomine ornatam fuisse ex titulo Patavino, de quo iam vidimus [1]), et ex Castellonensi praefecti eius prope Formias reperto [2]) colligi potest. Alterius autem cohortis fortasse titulus ille fuit, qui „Haunsheim" prope „Lauingen", Raetiae detectus est [3]) „— praefecti co [III] Thracum [c. R.]"

Cohortem IV Thracum equitatam post a. 43, fortasse 47 ex Moesia in Germaniam venisse Hartungius putavit, sed, si id verum est, non cum leg. III Gallica, sed cum leg. IIII Scythica [4]) eo profecta est. Habuit enim primo saeculo stationem in Germ. sup., quod ex titulis duobus Mogontiaci et Aquis Mattiacis inventis colligi potest, quorum alter [5]) equiti ex co. IIII Trhac. (sic!) Dans(ala) [6]) oriundo a Bito [7]), Stac(hi [8]) vel his) f., alter [9]) equiti, natione Besso, positus est.

Nominatur autem cohors etiam in lapide Tiburtino [10]) sub praef., qui cum trib . . . mil., \S (= exsignifer [11])) leg IIII Mac. et leg. XXI Rapacis in Germania fuerit, ante a. 71, quo legio IIII Mac. dissoluta est, videtur stipendia meruisse in coh. n. Tum coh. in inscriptione Tarraconensi commemoratur [12]), quae post a. 81 praefecto Tarr(aconensi) posita est, deinde in titulo extra Tarrac. invento cohors IIII Thracum sub praef. [13]) nominatur, quae non videtur ab equitata diversa fuisse.

Utrum haec cohors bello Syriaco interfuerit vel a Tito vel ab alio gesto indeque cognomen Syriacae acceperit an alia ab hac diversa, pro certo dici nequit. Cum legione IIII

---

1) V. 2841 = Gr. 480, 6 = p. 50.
2) X, 6100 = JRN. 4095 = Gr. 534, 2.
3) III, 2, 5880.
4) Hartg. p. 25, cf.. Pfitzner. p. 31/32.
5) Br. 1290.
6) cf. Br. 980: coh. Thrac. p. 44.
7) nomen est Thracicum cf. Wil. 1509.
8) nomen est Graecum Stachys cf. Haug. („prg. v. Mannh." 1877) p. 36.
9) Br. 1523.
10) Or. 1549 cf. Hz. III p. 146.
11) cf. Stille.
12) II, 4212 = Gr. 404, 3.
13) II, 4138 = Wil. 1611 = Gr. 358, 3.

Scythica in Syriam a. 58 profectam eam esse Hartungius[1]) coniecit. Nominatur enim in titulo ad Polae portum (reg. X) invento[2]) praefecto eius, trib. mil. leg. V Mac. a. Palpellia, Sex(ti) fil(ia), Antonilla cliente posito. Sex. Palpellius Histrus Claudii aetate vivebat[3]). Tum titulum, quem Huebnerus II saec. exeunte scriptum esse putavit, praefecto cohort. IIII Trachum (sic!) Syriacae, qui praeterea aliis multis et amplis muneribus functus est, respublica Malacitanorum posuit[4]). Frater eius praef. coh. II Thracum Syriacae fuit[5]).

De cohorte V Thracum nihil est notum.

Cohors VI Thracum equitata primo saeculo Mogontiaci videtur in castris fuisse, cum eius ibi tituli reperti sint, qui propter nomina peregrina huic fere aetati tribuendi sunt. Nominatur enim in altero[6]) Petronius Disacentius, Dentubrise f., eques, in altero[7]) T. Statilius Taurus, praef. I. Aug. Itureor. et VI Thracum. Fortasse huc etiam referendus est[8]) tit. Bonnensis[9]), ubi legitur: „. . . rhaecum". Boeckingius etiam titulum Moguntinum Lenulae f., ubi numerus cohortis omissus est[10]), huc spectare putavit. Sed brevi post cohortem in Britanniam translatam esse primi saeculi inscriptione[11]) demonstratur, Durcocornovii, quae castra I. sc. contra Silures facta erant, effossa[12]), ubi eques coh. nominatur. Praeterea videtur in titulo Viroconii reperto[13]) commemorari, nam quamquam numerus non iam legi potest, tamen stativa, quae coh. in meri-

---

1) p. 26 et 28 cf. Pfitzner. p. 34.
2) cf. Domaszewskium „Arch ep. Mitth. V (1881) p. 225.
3) cf, V, 48, 208.
4) II, 1970 = Wil. 1256 = Hz. 6928 (= Or. 5040) (Malacae Baetic. rep.)
5) cf. p. 50. Gr. 565, 2.
6) Br. 990 = Becker „Ktlg v. Mainz" 1875 n. 217.
7) Br. 1099.
8) cf. Boecking. Not. II b. p. 689.
9) Br. 489.
10) Br. 980 cf. p. 44.
11) cf. Huebn. Herm. XVI. p. 569.
12) VII, 67.
13) VII, 158.

dionali Britanniae regione habuit, „VI" intelligendam esse probant. Huc etiam fortasse referenda est tessera plumbea „Brough" reperta [1]), ubi legitur: C VI T. Denique in cippo marmoreo Neapolitano [2]) cohortis VI Thrac. praef. legitur, qui utrum huius coh. eq. an peditatae praef. fuerit, dubium est.

Diversa enim ab hac equitata videtur illa fuisse, quae a. 84 et 85 in Pannonia merebat [3]), quo a. 67 una cum leg. XIII eam venisse Hartungius coniecit [4]). Tum inter annos 147 et 161 in Dacia Apulensi vel Malvensi videtur castra habuisse [5]). Repertus etiam est titulus in Dacia „Magyar-Egregy" [6]), ubi legitur: coh. VI T[R]", quod non VI Tr(ibocorum) vel Tr(iballorum) supplendum esse crediderim, cum tot ex illis gentibus cohortes conscriptas fuisse vix probabile sit.

Deinde, cuius cohortis Thracum titulus sit „Téteny" (Camponae?) Pann. inf. [7]) et cuius Viruni Norici [8]) rep., non iam apparet. Noricum interdum cum Pannonico exercitu coniunctum fuisse recte videtur Jungius [9]) statuisse.

Tum Treveri, qui Caesaris aetate maxime equitatu valebant magnasque habebant copias peditum [10]) virtuteque inter Gallos eminebant [11]), a Caesare imperio Romanorum subiecti saepius videntur seditiones movisse. Anno 21 p. Ch. ala ex eis conscripta erat [12]), tum, postquam a Galba agris privati sunt [13]), a Vitellii partibus stabant [14]), equites, qui sub Munio Luperco contra Civilem pugnaverunt [15]), fugerunt ita, ut agri eorum

---

1) E. E. III, (1877) p. 144, 44.

2) X, 1777 = JRN. 2865 = Gr. 486, 6. Non genina est IX, 347* = JRN 828*.

3) cf. Henzen. in „Bulletino 1883" p. 134/5. d. 12.

4) p. 28.

5) d. 44.

6) cf. Torma „Arch. ep. Mitth." 1879 p. 114.

7) III, 1 3395.

8) III, 2, 4851.

9) „Militärverh. etc. sub. III, Noric".

10) b. G. V, 3.

11) b. G. II, 24.

12) a. III, 42.

13) h. I, 53, 10,

14) h. I, 63.

15) h. IV, 18.

ab illo devastarentur[1]). Tum Treveri frequentes a. Tutore ad seditionem contra Romanos faciendam moti caesi sunt[2]). Tertio saec. fortasse cohortes eorum in Germania agebant. Nominatur enim c(oh). Au(g.) Tr(ever). in titulo prope „Hoheburg“ Nassoviae rep., qui anno 211 positus est[3]). Tum in laterculo ib. rep.[4]) coh. III Tr(ever).[5]) commemoratur. Nam ita supplendum esse tertius ibi inventus titulus docet[6]), a. 223 scriptus, ubi „[coh. III] Treverorum (Severiana Alexandriana) eq.“ legitur.

Tribocorum copias Tutor sibi conciliaverat[7]). Num autem ala Claudia nova, cum in ea Tribocus meruerit, e Tribocis conscripta fuerit, id quod Hartungius coniecit[8]), valde dubium est. Neque minus incertum est, num cum cohorte II Hispan. Tribocorum cohors umquam coniuncta fuerit, id quod Torma ex titulo quodam[9]), cuius lectio non prorsus certa est, collegit ratus cohortem VI Tr(ibocorum) „Magyar-Egregy“ in castris fuisse[10]) et cum II Hisp., quae „Sebesváralja“ stationem habebat, esse coniunctam. Sed in illo titulo, ubi „COHVITP“ legitur; non de Tribocorum cohorte cogitandum esse iam supra vidimus[11]). Fortasse coh. II His. ped. commemorata est vel cohortem II His. pedaturam aliquam in opere extruendo perfecisse dictum.

Deinde Trimachorum cohors, quae erat ex Moesiae gente conscripta, in titulo Badensi Offenburgii effosso, cum

---

[1]) h. IV, 28.

[2]) h. IV, 71, V, 24. cf. Still.

[3]) Br. 1547 = Steiner. 694.

[4]) Br. 1550 c. = St. 697.

[5]) cf. Boeck. II. b. p. 687.

[6]) Br. 1549 = St. 695. cf. Bone „Anleitung z. Lesen, Ergänzen u. Datir. röm. Inschr.“ „Trier 1881 p. 47.“, quamquam Zangemeisterus (B. J. 75 (1883) p. 140) in illo laterculo pro COH IV A ind. vel COH ICIVR falso COH III TR. Krausium legisse suspicatus est.

[7]) A. IV, 70.

[8]) p. 17.

[9]) III, 6283.

[10]) Mitth. 1879 p. 114.

[11]) p. 54.

ibi „— Doman(en)sis[1]) (vel domo . . . . .), vet. coh. I TrimcI“ legatur, videtur appellari[2]).

Etiam ex Trumplinis (reg. X) cohortem esse constitutam ex titulo reperto Bovegnis[3]), quod situm est in ipsorum finibus, apparet, e quo principem eorum etiam praefectum cohortis[4]) et fortasse etiam (numeri) Vindo(licorum)[5]) fuisse cognoscimus. Quem titulum ante a. 15. a. Chr., quo „Raetia in provinciae formam redacta copiae ex hisce partibus deductae sunt“ scriptum esse recte statuit Mommsenus[5]).

Jam videamus de Tungrorum cohortibus. Tungri, quae gens erat Germanica, Rhenum transgressi Eburonum et Condrusorum agros occupaverant, „quod ex eo iam colligitur, quod Aduatuca, quod fuerat Eburonum caput, Tungrorum postea vocabatur[6]). Duas cohortes eorum, I Tungr. et I Tungr. eq. ∞ inter Germanici copias a. 16 fuisse et usque ad a. 42 in Germania mansisse Hartungius[7]) suspicatus est. Duae etiam cohortes erant in Fabii Valentis exercitu, quem contra Othonis classiarios misit[8]). Huius aetatis fortasse militis coh. I Tungr. lapis sepulcralis superest, qui in Alpium maritimarum territorio repertus est[9]). Cohors Tungrorum universaque gens a. 69/70 pro Civilis parte conciliatae[10]) brevi post una cum Nerviorum civitate a Fabio Prisco in deditionem acceptae sunt[11]). Deinde sub Vespasiano cohortes duae in Britanniam venerunt, ubi sub Agricola in proelio ad Graupium montem commisso in prima acie fortiter pugnaverunt[12]). I ∞ et II ∞ civ. Latinor. eq. has fuisse ex titulis et legibus hon. miss. a. 103 et 124

---

[1]) Domana erat Armeniae minoris oppid. vel Arabiae Felicis cf. Steiner. 884. Hartung. II p. 11.

[2]) Br 1684 = St. 884.

[3]) V, 4910.

[4]) Nonnullas gentes sub ipsorum ducibus meruisse in R. exercitu notum est. cf. coh. Batav.

[5]) cf. Momms. ad tit.

[6]) cf. Caes. b. G. II, 4. VI, 32. Tac. Germ 2.

[7]) p. 26.

[8]) h. II, 14.

[9]) CJL. XII, 16. cf. Huebn. Herm. XVI. p. 557 n. 4.

[10]) h. IV, 16.

[11]) h. IV. 79.

[12]) cf. Urlichs. „Schl.“ p. 58; Agr. 36.

recte Urlichsius[1]) collegit. Nominatur enim cohors I Tungr. milliaria in dipl. horum a.[2]). Fuit autem Borcovicii in castris, cum ibi decem vel duodecim eius tituli prodierint[3]), ubi ∞ significatio modo posita modo neglecta est, et etiam notitiae aetate ibi eam egisse sciamus[4]). Per aliquod sane tempus in valli Antonini opere faciendo occupata erat, quod titulus prope „Castlecary" inventus indicat[5]). Quinque[6]) autem praefecti in titulis Borcov. rep. nominantur quo ex numero unus[7]) aetate Antonini Pii vivebat, tum medicus ordinar.[8]) vocatur, tum miles, be(neficiarius) praef.[9]). Denique cohors diis deabusque secundum interpretationem oraculi Clari(i) Apollinis titulum ibi posuit[10]). Cohors nominatur etiam in titulo alio ibid. reperto[11]).

Cohors II Tungrorum ∞ c(ivium) L(atinor.) eq(uitata) II et III saec. „Castle-Steeds (Petrianis?)" et „Birrens" (= Blatobulgii), ubi videtur una cum I in vallo Antonini opere faciendo occupata fuisse, in castris erat[12]). Qua in cohorte singulares pagi et nationes merebant, ut Raeti et Condrustis et Vellaus pagi[13]), quorum ille deae patriae Viradesthi, hic deae tutelari Bicagambedae aram dedicavit. In notitia dign. milites Tungricani Dubris commemorantur et Tungricani seniores[14]). Merebant autem Tungri et sub ipsorum principibus[15]) et Romanorum praefectis. Ita appellantur in titulis „Castle-Steeds" repertis: „tres praefecti — instante — prin-

---

[1]) p. 9.
[2]) 21 et 30 (ubi ∞ significatio omissa est).
[3]) cf. VII p. 122. et, Herm. XVI.
[4]) oc 40, 40.
[5]) cf. Huebner. ad tit. h. VII, 1099.
[6]) VII, 635; 640 = Or. 3399, 638, 642, 651, 665.
[7]) 638.
[8]) 690.
[9]) 691.
[10]) VII, 633.
[11]) 653.
[12]) cf. Huebn. Herm. XVI p. 557.
[13]) cf. VII, 1068, 1072, 1073. (Caes. b. G. II, 4. 10, VI, 32, 1.)
[14]) cf. Boeck. Not. p. 121, 148 = 133, 6.
[15]) cf. Henz. Bullet. 1851 p. 114, 182.

cipe[1]), quorum in uno a. p. Ch. 241 scripto cohors Gordianae cognomine ornata est[2]). Fortasse etiam praefecti Paco[ni]us Saturn[inus] et Sex. Severinus Salvator huc spectant[3]). Nominatur cohors etiam in alio titulo[4]). In lapidibus autem prope „Birrens" rep. duo nominantur praefecti[5]): (C. S(i)l(vius) Auspex, P. Cam(mius) Italicus), tum trib. (A[r]u[s]ianus-Bassus) ordinatus . . . et (Frumentius) miles[6]). Praeterea videtur cohors pro tempore „Cramond" Caledoniae in praetorio fuisse, cum ibi matribus Alatervis et matr. Campestribus ins(tante) „— cent. leg. XX V(al.) V(ictr.)" aram dedicaverit[7]).

Tum etiam ex Tyriis, qui a. 20 a. Ch. ab Augusto in dicionem Romanorum redacti erant[8]), cohors conscripta est, quae a. 99 in Moesia inf. agebat sec. dipl. Traiani[9]).

---

1) VII, 879. 880. Non recte videtur Urlichsius (B. J. 60 (1877) p. 73) ex forma L litterae R in lapide fuisse collegisse, cum haec litterae L forma saepius inveniatur.

2) VII, 882 = Hz. 6781.

3) 885. 889.

4) 894.

5) 1068. 1071 = Henz. 5921, 1073, 1064.

6) 1078. 1074.

7) VII, 1084 = Hz. 5943.

8) cf. Dio LIV, 7, Marq. I.² p. 395 n. 2.

9) d. 20.

Vita.

Natus sum Otto Ernestus Hermannus Schuenemann a. d. XVII Kal. Oct. a. h. s. LVIII in vico Brandenburgensi, cui nomen est Rothemuehl, patre Hermanno matre Christiana e gente Kolbe, quos adhuc superstites esse quam maxime gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Primislaviense frequentavi. Inde vere a. h. s. LXXIX maturitatis testimonium adeptus Berolinum me contuli, ubi civibus universitatis Fridericae-Guilelmae adscriptus studiis philologicis et theodiscis operam dedi. Scholis interfui ibi per ter sex menses vv. dd.: Althaus, Huebner, Kiepert, Ad. Kirchhoff, Muellenhoff, Mueller, Robert, Seeck, Vahlen, Wattenbach, Zeller, Zimmer. Deinde, ut studia mea absolverem, Halas Saxonum adii, ubi per quinque semestria me docuerunt vv. ill.: Dittenberger, Gosche, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Kirchhoff, Krohn, Neumann, J. Schmidt, Thiele, Zacher. Ut prosemenarii et seminarii philologici exercitationibns interessem, Dittenberger, Hiller, Keil benigne mihi permiserunt. Praeterea societatibus suis me admiserunt Neumann, J. Schmidt, Zacher. Quibus viris omnibus optime de me meritis ex intimo animo gratias ago quam maximas.